AUTHOR:

LUTERBACHER, FRANZ

TITLE:

DE FONTIBUS LIBRORUM XXI ET XXII...

PLACE:

ARGENTORATI

DATE:

1875

Master Negative #

93-81279-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Luterbacher, Franz,
De fontibus librorum XXI et XXII Titi Livii... dissertationem scripsit Franciscus Luterbacher... Argentorati, apud Carolum I. Truebner, 1875.
59 p. 21½ cm.

Thesis, Strassburg.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/13/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

FONTIBUS LIBRORUM XXI ET XXII TITI LIVII

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE ARGENTORATENSI

RITE IMPETRANDOS

DISSERTATIONEM SCRIPSIT

FRANCISCUS LUTERBACHER
SOLODURENSIS.

ARGENTORATI.
APUD CAROLUM I. TRUEBNER.
1875.

DE

FONTIBUS LIBRORUM XXI ET XXII
TITI LIVII

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE ARGENTORATENSI

RITE IMPETRANDOS

DISSERTATIONEM SCRIPSIT

FRANCISCUS LUTERBACHER
SOLODURENSIS.

ARGENTORATI.
APUD CAROLUM I. TRUEBNER.
1875.

EDUARDO WOELFFLIN
GUILELMO STUDEMUND

PRAECEPTORIBUS CARISSIMIS SUIS
HUNC LIBELLUM GRATI ANIMI TESTEM
DICAT AUCTOR.

Quae T. Livius in libris XXI et XXII de bello Punico altero memoriae tradidit, alia cum tertio Polybii libro manifesto consentiunt, alia aut discrepant aut apud illum omnino non leguntur. Quamobrem cum prioribus saeculis multi extitissent viri docti, qui Livium in his libris scribendis cum alios auctores tum Polybium in usum vocasse dicerent, nostra aetate alii ac fere omnes, qui ad historiam Graecorum et Romanorum explorandam studium atque ingenium suum contulerunt, Livium, cum illos libros scriberet, opere Polybiano usum esse prorsus negaverunt. Nam ut ab initio huius saeculi repetam, Niebuhr[1]), cui assentitur Schwegler[2]), Polybium non ante medium bellum Hannibalicum a Livio adhibitum esse contendit. Paulo post Tillmanns[3]) et Nissen[4]) Livium in quarta et quinta decadibus multa Polybio debere, in eis quos modo dixi libris nihil ex eo petivisse censuerunt. Michael[5]) vero Polybium a Livio per totam tertiam decadem neglectum esse iudicavit.

Multos Nitzschii movit auctoritas, qui consensum illorum scriptorum inde ortum esse existimavit, ut veterem quendam auctorem ab utroque adhibitum esse statueret. Sed quanquam haec sententia a plurimis magno assensu accepta est, nequaquam inter eos constat,

---

[1]) Vorträge über röm. Geschichte herausgeg. von Isler I. 49.

[2]) Römische Geschichte I. 110.

[3]) Disputationis, qua ratione Livius Polybi historiis usus sit, part. I. Bonnae 1860.

[4]) Kritische Untersuchungen über die Quellen der 4. und 5. Decade des Livius. Berlin 1863.

[5]) In wie weit hat Livius den Polyb als Hauptquelle benutzt? Torgau 1859.

quisnam sit ille scriptor, ex quo tanquam communi fonte Polybius et Livius sua hauserint. Quem cum Nitzsch ipse olim Q. Fabium Pictorem esse iudicavisset [1]), postea Silenum esse, rerum Hannibalis auctorem, suspicatus est [2]). Carolus autem Boettcher [3]) hanc novam protulit sententiam, ut Livium libros XXI et XXII totos ex Coelii Antipatri historiis transscripsisse, ex Sileno Polybium et Coelium hausisse diceret. Contra ea Adolfus Vollmer [4]) praeter Coelium etiam Fabium et Valerium Antiatem annalium scriptores a Livio in duobus illis libris in auctorum numero habitos esse probare studuit idque Nitzschio ita persuasit, ut sententia priore relicta Livium in initio belli Hannibalici enarrando unius Coelii historias, per sequentes libros unius Valerii Antiatis annales secutum esse sibi fingeret [5]).

Nuperrime hanc rem tetigit Maximilianus Posner in eo libello, quo accuratius disserit, „quibus auctoribus in bello Hannibalico enarrando usus sit Dio Cassius" [6]). Cui quanquam Dio saepius ipsum Livium secutus esse videtur, quo in sequentibus libris persaepe eum usum esse persuasum habet, tamen ab ea regressus sententia utriusque scriptoris narrationem ex eodem fonte eoque Romano fluxisse dicit, quo fit, ut Coelium communem illum ducem et unum librorum XXI et XXII Livii auctorem esse arbitretur (p. 73).

---

1) „Q. Fabius Pictor" in der allgemeinen Monatsschrift für Wissenschaft und Literatur. Kiel 1854.

2) in von Sybel's historischer Zeitschrift 1864. — F. Friedersdorff etiam expeditiones Scipionis, quales leguntur apud Livium in libris XXVI—XXX et ap. Polybium in l. X—XIV, ex uno fonte haustas esse suspicatur in libello, qui inscriptus est „Livius et Polybius, Scipionis rerum scriptores, Goettingae 1869".

3) Kritische Untersuchungen über die Quellen des Livius im 21. und 22. Buche, Leipzig 1869 (Jahrbücher für Philologie, 5. Supplementband).

4) Quaeritur, unde belli Punici secundi scriptores sua hauserint. Diss. Goettingae 1872.

5) Römische Annalistik, Berlin 1873, p. 21.

6) Diss. Bonnae 1874. — Praeter Posnerum Boettcheri sententiam assensione comprobaverunt *Soltau* in dissertatione „de fontibus Plutarchi in secundo bello Punico enarrando" (Bonnae 1870), *Buchholz* in „Untersuchungen über die Quellen des Appian und Dio Cassius für die Geschichte des zweiten pun. Krieges" (Pyritz 1872), *Heynacher* in dissertatione „über die Quellen des Silius Italicus" (Ilfeld 1874).

Denique his ipsis diebus Ludovicus Keller [1]) multum operae laborisque consumpsit, ut Polybium et Livium tanquam communem ducem et magistrum illius belli narrandi L. Calpurnium Pisonem secutos esse probabilibus argumentis doceret.

Minor pars virorum doctorum veterem famam defendit. Quo in numero sunt F. Lachmann [2]), Lucas [3]), Carolus [4]) et Hermannus [5]) Peteri, Leopoldus Vielhaber [6]), Eduardus Woelfflin [7]), qui Livium in libris XXI et XXII conficiendis Polybio potissimum auctore usum esse, eas vero res, quae cum narratione Polybiana discrepant aut apud illum non extant, maximam partem ex Coelio petivisse iudicant.

Itaque cum huic quaestioni de Livii auctoribus recte solvendae a plurimis magnam vim magnumque pondus tribui intellegerem nonnullasque res minus diligenter examinatas esse iudicarem, hunc studiorum orbem delegi, in quo primum ingenii vires periclitarer. Ac sane quidem non id solum agitur, quanti faciamus Polybium et Livium, quanquam hoc ipsum est gravissimum; sed quoniam litterae graecae et latinae parem duos rerum scriptores inter se comparandi opportunitatem vix nobis praebent, hinc simul certa quaedam norma repetenda erit, ad quam omne nostrum de veteribus historicis iudicium dirigamus.

---

1) Der zweite punische Krieg und seine Quellen, Marburg 1875.

2) de fontibus historiarum Titi Livi commentatio duplex. Goettingae 1822 et 1828.

3) disputatio de ratione, qua Livius usus est opere Polybiano. Progr. Glogau 1854.

4) Livius und Polybius. Ueber die Quellen des 21. und 22. Buches des Livius. Halle 1863.

5) Veterum historicorum Romanorum relliquiae, Lipsiae 1870 (inde a pag. CCXIII).

6) Livianische Studien im Jahresbericht über das Gymnasium der k. k. Theresianischen Akademie in Wien, 1871 und 1872.

7) Antiochus von Syrakus und Coelius Antipater, Winterthur 1872.— Titi Livii a. u. c. libri XXI et XXII, Lipsiae 1873 et 1875.

Caput I.

Triplici potissimum modo licuit antiquis scriptoribus ea, quae ab antiquioribus rerum gestarum auctoribus tradita essent, in rem suam vertere.

Nam primum omnes res quae uno anno aut compluribus annis continuis acciderant, ex unius scriptoris opere ad verbum fere in novum librum ita poterant transferri, ut leviora quaedam omitterentur, alia adderentur, verba obsoleta cum noviciis mutarentur. Hac ratione quinto et sexto post Christum natum saeculo plerique chronicorum conditores auctoribus suis usi sunt, velut Prosper Hieronymum transscripsit, Prosperum Victorius, Victorium Cassiodorus, Cassiodorum Iordanis, ita tamen, ut sui quisque auctoris opus continuando ad suam ipsius aetatem perduceret. Simili modo etiam nonnullos antiquos rerum scriptores opera sua confecisse sunt qui putent, velut Nisseno iudice [1]) Appianus, cum res annis 201—146 gestas persequeretur, neminem adhibuit praeter Polybium, quem ipsum in rebus Hannibalis narrandis tanquam unicum ducem Pisonem secutum esse suspicatur Keller. Idem Nissen et Boettcher ne Livium quidem hanc scribendi rationem aspernatum esse contenderunt: nam quartae et quintae decadum partes aliquot totas ex Polybii historiis eum transtulisse et libros XXI et XXII nihil aliud esse quam exemplum partis cuiusdam Coeliani operis de secundo bello Punico scripti, nullo denique Livium auctore usum esse, quem non transscriberet [2]). Quae si recte docentur, illi rerum Romanarum scriptores veteribus auctoribus quasi in servitutem se addixerunt, quanquam ne Livianarum quidem periocharum conditor pleni operis vestigia tam anxie pressit, ut nullas res aliunde petitas adderet.

Deinde duo vel tres auctores alternis vicibus ita poterant in

---

[1]) Kritische Untersuchungen über die Quellen des Livius (pag. 114).

[2]) Cf. Boettcher pag. 361: „Livius hat gar keine andere methode gekannt seine quellen zu benutzen als sie auszuschreiben", *so dass* „von einer verbindung und verschmelzung mit andern quellen gar keine rede sein kann".

usum vocari, ut rerum domi militaeve gestarum aliae ex aliis transferrentur, sive ad verbum fere, sive paucis mutatis. Hoc contaminationis modo Vollmer Livium in libris XXI et XXII triplicem rerum famam ita connexuisse arbitratur, ut exempli gratia libri XXI. capp. 17—20, 49—51, 60—61 ex Fabio, capp. 21—24, 26—48, 52—56 ex Coelio, capp. 25—26 (init.), 57—58, 62—63 ex Valerio Antiate peteret.

Postremo nihil obstabat, quominus duo vel tres auctores a Livio ita adhiberentur, ut quae quisque de quaque re, velut de Hannibalis Alpium transitu, de pugna apud Trebiam commissa, memoriae prodidisset mente in unum comprehenderet et in conscribendo opere suo unius quidem auctoris tanquam potissimi ducis vestigia teneret, eum tamen vel ceterorum libros iterum evolvendo vel ex memoria vel ex suo arbitrio retractaret et amplificaret. Hac ratione capp. I—XI epitomae de Caesaribus quae vulgo Aurelio Victori tribuitur ex huius scriptoris libro pleniore et ex Suetonio congesta sunt [1]), eodemque fere modo Peteri, Woelfflin, alii Livium annales suos confecisse iudicant.

Etiam Boettchero identidem ea obversatur opinio, quasi Livius libros XXI et XXII ex compluribus auctoribus congesserit, sed taedio huiuscemodi laboris factum esse iudicat, ut unus auctor adhiberetur [2]). Et id quidem non negaverim, veteribus temporibus libros nisi multo maiore molestia quam nostra aetate in usum vocari nequivisse. Quanquam enim iam nonnullis saeculis ante Christum natum charta membranacea inventa erat, ex qua postea codices quadrati confici solebant, tamen Augusti aetate plerique scriptores et librarii papyro, quae minoris constabat, utebantur. Et cum singulae papyri paginae in formam voluminum conglutinarentur, volumina a legentibus ambabus manibus tenerentur (sinistra quidem ea pars, quae iam perlecta et convoluta erat, dextra ea, quae legenda et

---

[1]) Cf. Woelfflin de Aur. Victore in mus. rhen. nov. ser. vol. 29 inde a p. 282.

[2]) pag. 366 haec dicit: „ein solches durcheinanderarbeiten verschiedener quellen war aber nicht sache des Livius und verbot sich wol auch von selbst durch die technischen schwierigkeiten, welche sich im altertum einer solchen methode der quellenbenutzung bei dem unbequemen rollenformat der quellen, bei dem gänzlichen mangel einer einteilung nach capiteln und seiten, bei dem fehlen aller indices notwendigerweise entgegenstellen mussten". Cf. Nissen, Untersuch. p. 78.

explicanda restabat) [1]), vix fieri potuit, ut inter scribendum complurium voluminum argumenta inter se compararentur.

Atque non solum ea, quae manu scripta sunt, legentibus maiorem afferunt difficultatem saepiusque in errores nos inducunt quam quae typis et prelis expressa sunt, sed veteres vocabula quoque non disiungebant intervallis [2]) neque aut libros in capita ac paragraphos dividebant aut indices secundum litterarum ordinem constitutos habebant.

Sed quanquam haec Boettchero concedo, minime tamen existimo Livium his rebus coactum esse, ut in quaque operis parte unius ducis quasi signum sequeretur. Nam primum verisimile est veteres scriptores auctorum libros, cum eos evolvere operosum esset, neque quod quis quaereret oculis facile inveniretur, eo diligentius perlegisse et in componendis operibus suis saepius quam recentiores memoria fretos ab eis discessisse. Accedit quod iam Niebuhr [3]) non dubitavit, quin Livius, ut scribendi molestia levaretur, libros suos scribis dictaverit. Certe historiarum quae dicuntur auctores, velut Coelius, Sisenna, Sallustius, et Livius in eis libris, quibus suam ipsius aetatem describebat, ne poterant quidem priorum auctorum vestigia anxie exprimere.

Cum voluminum forma et magnitudine etiam divisio operum apud antiquos scriptores usitata ita videtur cohaesisse, ut plerumque singuli libri singula volumina explerent [4]); quae ne legentibus molesta essent, libri certum quendam modum vix excedebant [5]). Itaque etiamsi priores auctores minus quam Livius commodo legentium consuluerint, tamen non est verisimile, aut primum Coelii librum ea, quae a Livio in libris XXI et XXII narrantur, paene

---

[1]) Cf. Marquardt, antiq. Rom. vol. 5, 2. not. 3485, Wattenbach „Schriftwesen im Mittelalter" p. 104 sqq.

[2]) Cf. Suet. Aug. 87 extr.

[3]) Vorträge über röm. Geschichte herausgeg. von Isler I. 49.

[4]) Cf. Liv. 31 · 1 · 3, Cic. Tusc. 3 · 3 · 6, Vitruv. 2 · 1 · 8 etc. Excipiuntur tamen ab hac lege Velleii Paterculi libri duo (1 · 14 · 1 coll. 2 · 131 · 1) et Plinii „studiosi tres, in sex volumina propter amplitudinem divisi" (cf. Plin. epist. 3 · 5 · 5).

[5]) Conf. Nep. Hannib. 13 · 4 cum praef. §. 8, Quintil. 9 · 4 · 146, Trebellii Pollionis Valer. 8 · 5.

omnia continuisse [1]), ut Boettchero videtur, aut Livii decadem tertiam totam, ut Keller existimat, a Pisone pendere, qui septem libris historiam Romanam inde ab Aenea usque ad Gracchorum tempora persecutus erat [2]).

Deinde ei scriptores antiqui, qui non solum docere alios, sed simul delectare studebant, non tam saepe quam nos facere solemus, auctores suos testes afferebant; sed eos aut omnino silentio praeteribant aut non nominabant nisi ubi varia fama tradita erat, ut aut certiori auctori aut pluribus auctoribus fides habenda esset aut, quaenam fama vero propior esset, discerni nequiret. Itaque Nitzsch, qui Livium in libris XXI et XXII componendis Polybium non in usum vocavisse ex eo dixit intellegi, quod Polybii nomen in illis nunquam commemoraretur [3]), mihi non magis persuasit, quam si Schlosserum nostrum omnes rerum scriptores neglexisse contenderet praeter eos, quorum testimonio ille nominatim utitur.

At veteres rerum scriptores ne tum quidem, cum auctores suos nominant, verbum pro verbo reddunt, sed plerumque solam rem spectant, velut conferas Liv. 21 · 46 · 10 : servati consulis decus Coelius [4]) ad servum natione Ligurem delegat;

---

[1]) Si ex Coelii fragmentis 22 et 25, quae apud H. Peterum leguntur, coniecturam facere licet, Coelius extremo libro primo pugnam Cannensem narraverat, ut Coelianus liber I. responderet Livii libro XXI. et l. XXII. capp. 1—50.

[2]) In tertio libro Pisonis res anno 304 a. Chr. gestae enarratae erant (cf. frg. 27), liber septimus incepisse videtur ab septimo saeculo urbis (ab anno 158 a. Chr., cf. frg. 36), liber sextus summum annos 201—159 continebat. Itaque Piso totum bellum Hannibalicum libro quinto videtur complexus esse. Etiam Cato in originum libro quinto bellum Punicum secundum, in libro quarto primum persecutus erat. Cf. Nep. Cat. 3 · 3.

[3]) Cf. Nitzsch, röm. Annalistik, p. 14. — Fortasse Livius iam in altera decade, cum primum bellum Punicum enarraret, Polybio usus erat eiusque mentionem fecerat. In tertia decade sine dubio nullus locus excidit, ubi Polybius commemoratus erat. Ex eo tamen quod Polybius 30 · 45 · 5 „haud quaquam spernendus auctor" nominatur, suspicari non licet eum nunquam antea a Livio laudatum esse; nam etiam 33 · 10 · 10, ubi Livius iterum Polybium testem citat, „non incertum auctorem" eum appellat.

[4]) Posner suspicatus est (p. 59) Livium hoc loco memoria lapsum Coelium posuisse pro Valerio Antiate. Idem fere accidit Ciceroni, qui orat. §. 29. Eupolim pro Aristophane nominaverat, sed monitus ab Attico errorem corrigi iussit. H. Peter (vet. hist. Rom. rell. p. CC) Livium 40 · 29 Valerii Antiatis nomen pro Pisone scripsisse docet.

Tac. Germ. 28 : „validiores olim Gallorum res fuisse summus auctor divus Iulius tradit“, quibus verbis respicit Caes. b. g. 6·24: „ac fuit antea tempus, cum Germanos Galli virtute superarent“;

Plut. Ages. 4: *ὃ δέ φησιν ὁ Ξενοφῶν, ὅτι πάντα τῇ πατρίδι πειθόμενος ἴσχυε πλεῖστον, ὥστε ποιεῖν ὃ βούλοιτο,* quae manarunt ex Xen. Ag. 7. 2: *ὅτι δυνατώτατος ὢν ἐν τῇ πόλει φανερὸς ἦν μάλιστα τοῖς νόμοις λατρεύων.* [1]) etc. etc.

Itaque opinio eorum, qui Livium Polybio in lib. XXI et XXII auctore usum non esse ex eo concluserunt, quod non verbum e verbo expresserit, mihi parum probatur.

Saepissime vero scriptores veteres, cum se res ex auctore certo aut incerto petivisse commemorent, eum tamen non nominant, velut

Liv. 1·48·9 (Servium imperium deponere in animo habuisse) *quidam auctores sunt*;

Liv. 2·32·3 ea *frequentior fama est* quam cuius Piso auctor est;

Liv. 6·42·5 bellatum cum Gallis eo anno circa Anienem flumen auctor est Claudius . . . *pluribus auctoribus* magis adducor ut credam decem haud minus post annos ea acta. etc. etc.

Itaque si in Livii libris XXI et XXII similes loci nobis occurrunt, qui in universum quidem cum Polybio concinunt, nullam video causam, cur eos ex Polybio haustos esse negemus, velut

Liv. 21·1·4 fama est etiam [2]) Hannibalem . . . iure iurando adactum (quibuscum conf. Pol. l. 3. c. 11);

21·28·6 ceterum magis constat (elephantos) ratibus traiectos (cf. Pol. 3 cap. 46);

21·38·3 Hoc maxime modo in Italiam perventum est, quinto mense a Carthagine nova, ut quidam auctores sunt (cf. Pol. 3·56·3).

Caveas igitur, ne de auctoribus, quorum apud Livium mentio facta aut non facta est, nostrae aetatis more inductus falso iudices.

Ut vero historicis Romanis in adhibendis eorum libris, quibus

---

[1]) Cf. Buengeri Theopompea, Argentorati 1874, p. 13.

[2]) Nonnulli viri docti, in his Boettcher (p. 363), Livium verbis „fama est“ indicare putant se hanc rem auditu accepisse neque certo auctori debere, sed hanc vim non semper vocabulo famae inesse intellegitur ex Liv. 2·32·3, quem locum supra exscripsi. Cf. Woelfflin ad Liv. XXI. 1·4 et 22·6.

auctoribus utebantur, maiores difficultates obstabant quam nostris, ita etiam disciplinae et artes, quibus instructi erant in rebus scribendis minus adiumenti eis praebebant. Iam ne conferam longe diversam eorum, qui nostris temporibus ad historiae cognitionem se conferunt, rationem studiorum inde a pueris iniri solitam, apud illos memoria priorum temporum, quamvis in ludis rhetorum et philosophorum non neglegeretur, minime tamen ad criticam rationem corrigebatur, sed declamatorio colore exornabatur. Praeterea ante Livium nemo fere ad annales vel historias condendas accedebat, quin per complures annos ad rem publicam moderandam scientiam et studium suum domi militiaeque contulisset. Ita fiebat, ut illi quae a rerum scriptoribus memoriae prodita essent vel quae fama rumoribusque accepissent, non iudicio integro examinarent et percenserent, sed ad rhetorum praecepta caligine potius obducerent, neque totius mundi se incolas et cives esse recordarentur, sed Romanorum partes sequerentur vel studiis civilibus ducerentur.

Historiarum enim confectionem apud Romanos rei publicae commodis inserviisse idque praecipuum fuisse historicorum consilium, ut iuvenes maiorum virtutes aemularentur ex eo ipso intellegitur, quod sero aliarum gentium memoriae studere coeperunt. Cum se ipsi principem terrarum populum esse crederent, in primis rerum a populo Romano gestarum memoriae consuli volebant, neque historicorum id potius videbatur esse, ut veritatem propter se ipsam indagatam traderent, quam ut populi Romani nomen gloriamque illustrarent, de hostibus quod sequius esset loquerentur. [1]) Etiam studiis factionum [2]) vel singulorum hominum [3]) rerum gestarum memoria serviebat; denique docere debebat, quid ingenii vere Romani esset [4]). His igitur rationibus ducti veteres scriptores res Romanorum et Carthaginiensium litteris mandaverant easdemque Livius in retractanda annalium memoria secutus est. Etiam Nissen et Boettcher monuerunt Livium in quarta decade interdum nimio Romanos defendendi studio ea mutasse, quae Polybius tradidisset, et in libris XXI et XXII idem factum esse in universum

---

[1]) Conferas exempli gratia quae Polybius l. I. c. 14 Fabio Pictori exprobrat.

[2]) Cf. Sall. Jug. 95·2 : Sisenna parum mihi libero ore locutus videtur.

[3]) Sullam Caesarem similes dico.

[4]) Cf. Liv. praef. §. 10.

concedunt, sed quotiens ad rem praesentem ventum est, Livium nimio patriae amore commotum a Polybio discessisse negant.

Scriptores vero Romani in annalibus conscribendis non solum plus aequo Romanis favebant, sed cum plerique eorum in rhetorum ludis eruditi essent, etiam res in oratorum modum exornabant. Ipse Cicero [1]) rhetoribus concessum esse iudicabat ementiri in historiis, ut aliquid argutius possent dicere, et Quintilianus [2]) rerum gestarum scriptoribus eadem fere licere existimabat, quae nostra aetas fabularum quas dicimus Romanensium auctoribus concedit. Quo oratorio colore Nissen et Boettcher cum Livianos quoque annales adspersos esse recte dicunt, tum in quarta et quinta decadibus Livium nonnunquam verba Polybiana ad rhetorum praecepta mutavisse et exornavisse praeclare demonstraverunt [3]), sed quotiens in libris XXI et XXII talis locus occurrit, Boettcher animo fluctuat, excusationem aliquam parat, denique ad alium auctorem confugit. Neque tamen dubium est, quin Livius, qui et ipse adulescens artem rhetoricam professus esse videtur, [4]) in his libris non minus quam in quarta decade ea, quae a rerum auctoribus tradita essent, retractaverit et quasi quibusdam verborum floribus consperserit. Velut in l. 22 c. 39, ubi Paulus consul a Fabio Maximo monetur, non minus certaminis sibi cum collega Varrone quam cum Hannibale futurum, illos viros familiariter inter se collocutos esse dicas; sed primum Fabius orationem habet, deinde Paulus, tum discedunt. Unum addiderim, non eandem fidem habendam esse orationibus inter narrationem Livianam insertis et ipsi rerum gestarum narrationi; nam interdum Livius homines in orationibus ea dicentes fecit, quae ipse non vera esse existimabat aut de industria silentio praeterierat. Velut Hanno 21 · 3 · 4 Hasdrubalem florem aetatis Hamilcari fruendum praebuisse ait, quanquam Livius ipse

---

[1]) Brut. 11, 42; cf. de leg. 1 · 2 · 5.

[2]) 10 · 1 · 31 : historia est proxima poëtis et quodammodo carmen solutum et scribitur ad narrandum, non ad probandum.

[3]) Cf. Boettcher p. 362: „bisweilen wird ein satz aus der gewöhnlichen erzählung in die form der rede umgewandelt oder die indirecte redeform in die directe; namentlich treten diese rhetorischen veränderungen in den kleinern und grössern reden hervor; im ganzen hat Livius in dieser beziehung den Polybius bedeutend erweitert."

[4]) Conf. Teuffeli hist. litt. Rom. ed. tert. §. 256 · 4.

21 · 2 · 3 eam famam aspernatus est, et 23 · 5 · 12 Varro contionans Hannibalem pontes ac moles ex humanorum corporum strue fecisse [1]) et milites vesci corporibus humanis docuisse [2]) dicit, quarum rerum commenticiarum in libris XXI et XXII nulla mentio fit.

---

[1]) Florus 2 · 6 · 18 Hannibalem id fecisse narrat apud Cannas in torrente Vergelli, conf. Val. Max. IX. 2 ext. 2, App. Hann. 28 et Lib. 63, Luciani dialog. mort. 12. Appianus (Celt. tom. I. p. 36/37 editionis Bekkerianae) idem fecisse tradit Caesarem, cum Belgas devicisset.

[2]) Apud Polybium (IX · 24 · 5) Hannibal Monomachus imperatori Hannibali suadet, ut milites carne humana vesci doceat, sed imperator consilium eius aspernatur.

Caput II.

Tres potissimum causae videntur obstare, quominus Livium in libris XXI et XXII Polybio auctore usum esse dicamus. Primum enim nonnulli viri docti [1]) Livium vetera foedera Romanorum et Carthaginiensium, quae apud Polybium leguntur, si ei nota fuissent, silentio praeteriturum fuisse negant. Deinde multae discrepantiae in eis operis Liviani partibus, quae summatim cum tertio Polybii libro consentiunt, tam graves esse dicuntur, tot res in illis relatae Polybianae narrationi repugnare, tot apud solum Livium extare, ut eas explicare nequeat, qui Livium pleraque ex Polybio petivisse credat. Denique ex quaestionibus, quas Tillmanns et Nissen de Livii libris XXXI—XLV instituerunt, effici videtur, Livium in singulis rebus narrandis singulos non plures auctores in usum vocavisse. Hae causae quo iure obici possint, nunc videamus.

Apud Polybium igitur, ut ab eo argumento proficiscar, quod sine dubio gravissimum est, in lib. III cap. 22—30 quinque foedera commemorantur, quae Romanis cum Carthaginiensibus fuerant, nec plane liquet, cur Livius ea in opus suum non transtulerit. Tamen hanc rem non tantam esse iudico, ex qua effici possit Livium ex toto tertio Polybii libro nihil hausisse. Nam ex his foederibus, ubi de Sagunti expugnatione disceptabatur, duo tantum maioris momenti erant: unum quod a Catulo consule anno 241 a. Chr. n., alterum quod postea cum Hasdrubale imperatore [2]) ictum erat. Itaque Polybio, qui id spectavit, ut non modo casus eventusque rerum, sed ratio etiam causaeque cognoscerentur, rerum gestarum ordine interrupto vel a primis temporibus liberae Romanorum rei publicae repetere et quinque illa foedera cum lectore communicare non

[1]) Cf. Schwegleri hist. Rom. I p. 110, Boettcher p. 369.

[2]) Anno ut videtur 226 a. Chr.; conf. Pol. 2 · 13 · 7: *ἅμα τῷ διαπρεσβευσάμενοι πρὸς τὸν Ἀσδρούβαν ποιήσασθαι συνθήκασ . . . εὐθέως ἐξήνεγκαν τὸν πρὸς τοὺς κατὰ τὴν Ἰταλίαν Κελτοὺς πόλεμον* (vix anno 228, ut Langio videtur in antiq. Rom II², p. 143).

minus licuit quam alias res nonnullas in eodem libro per digressiones exponere, praesertim cum Philinum falsorum foederum auctorem esse eique a compluribus fidem haberi intellegeret [1]). Contra ea non video, qua ratione ductus Livius, qui per digressiones omnia memoratu digna explanare non soleat, de omnibus Romanorum et Carthaginiensium foederibus in exponendis rebus anno 219 a. Chr. gestis debuerit disserere. Sane is quidem officio suo satisfecit, cum Catuli et Hasdrubalis foedera ita commemoraret, ut ad verbum fere cum Polybio concineret. Sed ut ipse iudices, ipsa Livii (l. 21 c. 19) et Polybii (l. 3 c. 29) verba describam:

Haec derecta percunctatio ac denuntiatio belli magis ex dignitate populi Romani visa est quam de foederum iure verbis disceptare, cum ante, *tum maxime Sagunto excisa*. nam quid foedus Hasdrubalis cum Lutatii priore foedere conparandum erat? cum in Lutatii foedere diserte additum esset, *ita id ratum fore, si populus censuisset*, in Hasdrubalis foedere nec exceptum tale quicquam fuerit, et tot annorum silentio ita vivo eo conprobatum sit foedus, ut ne mortuo quidem auctore quicquam mutaretur. quanquam, etsi priore foedere staretur, satis cautum erat Saguntinis *sociis utrorumque* exceptis. nam neque additum erat „*iis qui tunc essent*", nec, „*ne qui postea adsumerentur*" etc.

τὰ δ' ὑπὸ Ῥωμαίων λεγόμενα νῦν ἐροῦμεν· οἷς τότε μὲν οὐκ ἐχρήσαντο διὰ τὸν ἐπὶ τῇ Ζακανθαίων ἀπωλείᾳ θυμόν, λέγεται δὲ πολλάκις καὶ ὑπὸ πολλῶν παρ' αὐτοῖς. πρῶτον μὲν ὅτι τὰς πρὸς Ἀσδρούβαν γενομένας ὁμολογίας οὐκ ἀθετητέον· οὐ γὰρ προσέκειτο, καθάπερ ἐπὶ τοῦ Λουτατίου, κυρίας εἶναι ταύτας ἐὰν καὶ τῷ δήμῳ δόξῃ τῶν Ῥωμαίων, ἀλλ' αὐτοτελῶς ἐποιήσατο τὰς ὁμολογίας Ἀσδρούβας, ἐν αἷς ἦν τὸν Ἴβηρα ποταμὸν μὴ διαβαίνειν ἐπὶ πολέμῳ Καρχηδονίους. καὶ μὲν ἐν ταῖς περὶ Σικελίας συνθήκαις ἦν ἔγγραπτον, ὑπάρχειν τοῖς ἀμφοτέρων συμμάχοις τὴν παρ' ἑκατέρων ἀσφάλειαν, οὐκ αὐτοῖς μόνον τοῖς τότε συμμαχοῦσι· προσέκειτο γὰρ ἂν ἤτοι τὸ μὴ προσλαμβάνειν ἑτέρους συμμάχους παρὰ τοὺς ὑπάρχοντας etc.

[1]) Cf. Pol. l. 3. cap. 26.

Hanc disceptationem de iure foederum a Livio aut ex ipso Polybio aut ex communi quodam utriusque fonte haustam esse apparet. At si libri III. cap. 29 a Polybio ex antiquiore quodam auctore petitum est, etiam ea foedera, quae cum a Polybio commemorentur, a Livio omnino non tanguntnr, ex communi illo fonte fluxerunt, et Livio ea silentio praeterire non magis licuit, quam si ea apud ipsum Polybium legerat. Ceterum Livius et 7 · 27 · 2 et 9 · 43 · 26 et perioch. XIII illorum foederum mentionem fecerat, quanquam paucis verbis, fortasse etiam in l. XVI, quo originem Carthaginiensium et primordia urbis eorum referebat, de eis disseruerat. Itaque primum illud ad quod viros doctos provocare vidi argumentum admodum infirmum esse censeo.

Nec maiorem vim habet alterum argumentum, quod petitur ex discrepantiis Livii et Polybii, quippe quae et ipsae, partim ex usu duorum vel trium auctorum partim ex indiligentia et levitate Livii ortae, rerum scriptorem, non servum librarium illum fuisse ostendant. Qui cum saepe earum rerum oblitus sit, quas ipse narravisset, et res inter se pugnantes rettulerit, sane auctorum libros non ea cura perscrutatus est, qua usum eum esse Boettcher videtur credere. Ceterum cum plerique his discrepantiis nimium momentum addant, nobis ex ipsorum scriptis nonnulla exempla afferre liceat, quae illos ipsos in Polybio et Livio interpretandis non eam adhibere ostendant diligentiam, quam Livio attribuunt.

Velut Vollmer (p. 9) Pol. 3 · 20 · 3 *τὴν στυγνότητα τοῦ συνεδρίου παρεισάγουσι θαυμάσιον* significare putat „laudant senatus Romani constantiam“, cum nihil aliud sit quam „mirabilem tristitiam senatus exponunt“.

Idem (p. 11) ad Pol. 3 · 33 · 18 *διὸ καὶ κατακολουθεῖν εἱλόμεθα τῇ γραφῇ ταύτῃ* haec addit: „illius inscriptionis in templo Iunonis in promontorio Lacinio insculptae fidem atque auctoritatem se alii traditioni praetulisse dicit“. Sed Polybius de altera fama nihil significavit neque aliud quicquam dicit quam sibi liberum fuisse vel illis copiarum Punicarum numeris in opere suo locum dare vel eis fidem non habere [1]).

Apud Posnerum (p. 11) haec leguntur: „Consulem, qui emporium prope Placentiam ab Hannibalis obsidione liberaverit, Sempronium Gracchum fuisse sola ex Dionis narratione discimus“.

[1]) Recte de ea re iudicavit Woelfflin in Antioch. p. 91.

Ei vero Sempronio, qui anno 218 a. Chr. n. consul fuit, nomen erat Ti. Sempronio Longo, non Graccho [1]).

Quae Keller p. 193 de Maharbalis expeditione Romanisque, dum in ponte faciendo distinentur, oppressis narrat, interpretatione parum accurata ex Liv. 21 · 45 · 2 surrepsit, cum is Numidas ad depopulandos agros dimissos esse tradiderit.

Deinde Nitzsch [2]) Hannibalem, qui a patre iure iurando adactus erat, se nunquam Romanis amicum fore, id Scipioni narravisse putat; at illud haudquaquam discrepat inter auctores, Hannibalem eam rem Antiocho regi exposuisse.

Boettcher (p. 412) in nobili pugna ad Trasumennum commissa decem milia Romanorum per adversos hostes eruptionem fecisse dicit, quasi vero non sex milium numerus legatur et ap. Pol. 3 · 84 · 11 et ap. Liv. 22 · 6 · 8 [3]).

Idem (p. 372) in Liv. 21 · 22 · 3 lectionem „elephanti XIV“ amplectitur, quamvis cod. Colb. et recentiores editores ad unum omnes „el. XXI“ praebeant [4]), qui numerus idem apud Pol. 3 · 33 · 16 extat.

Denique Boettcher (p. 367) Liv. 21 · 14 · 1 „argentum aurumque *omne* ex publico privatoque in ignem conicientes“ et Liv. 21 · 15 · 1 „quanquam *pleraque* ab dominis de industria corrupta erant“ sibi non repugnare dicit, cum „omne“ et „pleraque“ his locis idem significent. Sed diversam quodammodo opinionem de his vocabulis profert p. 387, ubi agit de Liv. 21 · 38 · 5 „Taurini Semigalli proxuma gens erat in Italiam degresso. id cum *inter omnes* constet, eo magis miror ambigi, quanam Alpis transierit, et vulgo credere Poenino transgressum, Coelium per Cremonis iugum dicere transisse“. Nam cum Polybius 3 · 56 · 3 Hannibalem ad Insubres descendisse dicat et inde (3 · 60 · 8) contra Taurinos profectum esse,

[1]) Cf. Fast. cons. Capitol. in C. J. L. I p. 435, Mommsen ibidem p. 524, Dionem Cass. ap. Zon. VIII · 23 (init.) et 24, Liv. 21 · 6 · 3 et 34 · 42 · 3, App. Hisp. 14, Frontin. strateg. 2 · 5 · 23. Gracchum pro Longo nominat Eutrop. 3 · 9. Cf. etiam Ampel. 46 · 5 „apud Trebiam vulnerato Flacco consule“.

[2]) Röm. Annalistik p. 300. Cf. Pol. l. 3. c. 11, Liv. l. 35. c. 19, Corn. Nep. Hann. 2.

[3]) Inveniuntur decem milia apud Appianum (Hann. 10); sed qui pari numero Romani ad Trebiam hostium aciem perrupere, ab Appiano non commemorantur, unde eum memoria lapsum esse conicias.

[4]) Cf. Alschefski ad Liv. 21 · 22 · 3.

Boettcher ex hoc loco Liviano evinci putat, Polybium non fuisse in auctorum Livii numero. [1]) — Fateor hunc locum difficillimum esse [2]); sed quomodo ipsi Boettchero faveat, qui Livium *solo* Coelio auctore usum esse censet, non video. Ceterum aliis locis compluribus Livius rhetorico more vocabulum „omnes" usurpat pro „plerique", velut [3])

21 · 5 · 17 omnia trans Hiberum praeter Saguntinos Carthaginiensium erant;

21 · 21 · 3 pacatis omnibus Hispaniae populis;

21 · 30 · 2 omnes gentesque et terrae (Hispaniae);

22 · 3 · 8 : ceteris omnibus salutaria magis quam speciosa suadentibus (cf. Pol. 3 · 82 · 4 *τινῶν οἰομένων*);

22 · 43 · 2 milites (Hannibalis) mixtos ex conluvione omnium gentium.

Immo Nitzsch ipse interdum „omnes" scribit cum de multis vel plerisque cogitet. Velut *omnes* claros nostrae aetatis historicos negare dicit, urbe a Gallis incensa plerasque litteras interiisse, ut Livius tradit; sed Octavio Clasone teste et Mommsen et Schwegler et Ihne et Lewis Livium non erravisse iudicant [4]).

Itaque cum nostri rerum scriptores et viri docti et ipsi interdum ab auctoribus suis discrepent, quanto plures discrepantias Livio, cui tantae laboris molestiae obstiterint, invito excidisse necesse est? Ceterum etiam Boettcher, qui maxime illas Polybii et Livii

---

[1]) Boettch. p. 387: „Livius fand in *allen* seinen quellen, Hannibal sei *zuerst* zu den Taurinern gekommen; daraus folgt mit evidenz, dass Pol. nicht zu den quellen des L. gehört. Dieses *inter omnes* ist nun einmal nicht weggzudisputiren".

[2]) de eo disseruit Woelfflin Ant. p. 53 et 54.

[3]) Cf. quae Woelfflin ad hos Livii locos adnotavit.

[4]) Cf. Liv. 6 · 1 · 2 litterae *pleraeque* interiere. — Nitzsch, Annalistik p. 204: „Livius' Ansicht, dass der gallische Brand *fast alle oder alle* früheren bedeutenden Denkmäler zerstört habe, findet jetzt nirgendwo ernsthafte Zustimmung. Im Gegentheil haben bekanntlich *alle* unsre bedeutendsten Forscher anerkannt, dass" etc. — Clason, röm. Geschichte I. p. 17: „Nitzsch scheint mir diese Frage zu flüchtig zu behandeln und ohne allen Grund das Zeugniss der bedeutendsten gegenwärtigen Forscher gegen die livianische Ansicht anzurufen. Wenigstens Mommsen hält ohne Frage die Wahrheit des livianischen Zeugnisses aufrecht, ebenso Schwegler, Ihne, Lewis".

discrepantias pressit, Livium errasse dicit (p. 376) de tempore, quo Hannibalem Gadis profectum esse tradat. Haec de discrepantiis.

Restat tertia causa. Nonnulli enim contendunt, ex eis quaestionibus, quas Nissen de quarta et quinta Livii decadibus instituit, apparere, Livium in singulis operis sui partibus argumenta ex singulis auctoribus petere solitum esse, et quae in libris XXXI — XLV Polybio debeat, ea nullis rebus aliunde petitis aucta esse. Quod in posterioribus quidem decadibus factum esse non negemus; sed cum ex eis Polybii libris, quos Livius in quarta et quinta decadibus tanquam duces secutus est, praeter fragmenta nihil supersit, liber tertius intactus extet, ex hoc potius libro cum Livii libris XXI et XXII comparato coniecturam faciamus, quomodo Livius Polybio usus sit. Neque necesse est Polybium a Livio eadem semper ratione adhibitum esse; et revera Livius, cum l. 31 c. 1 bellis Punicis narrandis se fatigatum esse significet, posteriores libros non eadem opera et cura videtur conscripsisse. Accedit quod in postremis libris, quibus Livii ipsius aetas describebatur, ne poterant quidem singulorum auctorum libri exprimi. Itaque cum Livius rationem studiorum identidem mutaverit, etiam illud argumentum, quod petitur ex ratione, qua Livius libros XXXI—XLV confecerit, ad quaestionem de libris XXI et XXII solvendam non magni momenti est.

Quae cum ita sint, cum multi viri docti Polybium a Livio in eis quos modo dixi libris in usum vocatum esse negent, quaeritur, quonam modo illi factum esse iudicent, ut Livius et Polybius tam saepe et tam manifesto inter se consentiant.

Ac primum hunc consensum ita evenisse dicas, ut Livius non ex Polybio ipso, sed ex alio scriptore, qui Polybium secutus esset, sua hauriret. Et vero Nitzsch, qui saepius opinionem suam mutavit, nuperrime in eo libro, quem scripsit de annalium scriptoribus Romanis (p. 21), Livium, cum primas res ab Hannibale gestas ex Coelio transtulisset, postea hoc auctore relicto Valerium Antiatem, qui Polybio usus esset, ducem elegisse [1]) suspicatur. Quae opinio

---

[1]) Quomodo vero factum sit, ut sui dissimillimum elegerit, alii expediant.

Boettcher ex hoc loco Liviano evinci putat, Polybium non fuisse in auctorum Livii numero. [1]) — Fateor hunc locum difficillimum esse [2]); sed quomodo ipsi Boettchero faveat, qui Livium *solo* Coelio auctore usum esse censet, non video. Ceterum aliis locis compluribus Livius rhetorico more vocabulum „omnes" usurpat pro „plerique", velut [3])

21 · 5 · 17 omnia trans Hiberum praeter Saguntinos Carthaginiensium erant;

21 · 21 · 3 pacatis omnibus Hispaniae populis;

21 · 30 · 2 omnes gentesque et terrae (Hispaniae);

22 · 3 · 8: ceteris omnibus salutaria magis quam speciosa suadentibus (cf. Pol. 3 · 82 · 4 *τινῶν οἰομένων*);

22 · 43 · 2 milites (Hannibalis) mixtos ex conluvione omnium gentium.

Immo Nitzsch ipse interdum „omnes" scribit cum de multis vel plerisque cogitet. Velut *omnes* claros nostrae aetatis historicos negare dicit, urbe a Gallis incensa plerasque litteras interiisse, ut Livius tradit; sed Octavio Clasone teste et Mommsen et Schwegler et Ihne et Lewis Livium non erravisse iudicant [4]).

Itaque cum nostri rerum scriptores et viri docti et ipsi interdum ab auctoribus suis discrepent, quanto plures discrepantias Livio, cui tantae laboris molestiae obstiterint, invito excidisse necesse est? Ceterum etiam Boettcher, qui maxime illas Polybii et Livii

---

[1]) Boettch. p. 387: „Livius fand in *allen* seinen quellen, Hannibal sei *zuerst* zu den Taurinern gekommen; daraus folgt mit evidenz, dass Pol. nicht zu den quellen des L. gehört. Dieses *inter omnes* ist nun einmal nicht weggzudisputiren".

[2]) de eo disseruit Woelfflin Ant. p. 53 et 54.

[3]) Cf. quae Woelfflin ad hos Livii locos adnotavit.

[4]) Cf. Liv. 6 · 1 · 2 litterae *pleraeque* interiere. — Nitzsch, Annalistik p. 204: „Livius' Ansicht, dass der gallische Brand *fast alle oder alle* früheren bedeutenden Denkmäler zerstört habe, findet jetzt nirgendwo ernsthafte Zustimmung. Im Gegentheil haben bekanntlich *alle* unsre bedeutendsten Forscher anerkannt, dass" etc. — Clason, röm. Geschichte I. p. 17: „Nitzsch scheint mir diese Frage zu flüchtig zu behandeln und ohne allen Grund das Zeugniss der bedeutendsten gegenwärtigen Forscher gegen die livianische Ansicht anzurufen. Wenigstens Mommsen hält ohne Frage die Wahrheit des livianischen Zeugnisses aufrecht, ebenso Schwegler, Ihne, Lewis".

discrepantias pressit, Livium errasse dicit (p. 376) de tempore, quo Hannibalem Gadis profectum esse tradat. Haec de discrepantiis.

Restat tertia causa. Nonnulli enim contendunt, ex eis quaestionibus, quas Nissen de quarta et quinta Livii decadibus instituit, apparere, Livium in singulis operis sui partibus argumenta ex singulis auctoribus petere solitum esse, et quae in libris XXXI — XLV Polybio debeat, ea nullis rebus aliunde petitis aucta esse. Quod in posterioribus quidem decadibus factum esse non negemus; sed cum ex eis Polybii libris, quos Livius in quarta et quinta decadibus tanquam duces secutus est, praeter fragmenta nihil supersit, liber tertius intactus extet, ex hoc potius libro cum Livii libris XXI et XXII comparato coniecturam faciamus, quomodo Livius Polybio usus sit. Neque necesse est Polybium a Livio eadem semper ratione adhibitum esse; et revera Livius, cum l. 31 c. 1 bellis Punicis narrandis se fatigatum esse significet, posteriores libros non eadem opera et cura videtur conscripsisse. Accedit quod in postremis libris, quibus Livii ipsius aetas describebatur, ne poterant quidem singulorum auctorum libri exprimi. Itaque cum Livius rationem studiorum identidem mutaverit, etiam illud argumentum, quod petitur ex ratione, qua Livius libros XXXI—XLV confecerit, ad quaestionem de libris XXI et XXII solvendam non magni momenti est.

Quae cum ita sint, cum multi viri docti Polybium a Livio in eis quos modo dixi libris in usum vocatum esse negent, quaeritur, quonam modo illi factum esse iudicent, ut Livius et Polybius tam saepe et tam manifesto inter se consentiant.

Ac primum hunc consensum ita evenisse dicas, ut Livius non ex Polybio ipso, sed ex alio scriptore, qui Polybium secutus esset, sua hauriret. Et vero Nitzsch, qui saepius opinionem suam mutavit, nuperrime in eo libro, quem scripsit de annalium scriptoribus Romanis (p. 21), Livium, cum primas res ab Hannibale gestas ex Coelio transtulisset, postea hoc auctore relicto Valerium Antiatem, qui Polybio usus esset, ducem elegisse[1]) suspicatur. Quae opinio

---

[1]) Quomodo vero factum sit, ut sui dissimillimum elegerit, alii expediant.

quanquam ita comparata est, ut neque confirmari certis argumentis neque refelli possit, tamen Nitzsch vix cuiquam, qui sciat, quam multa Valerius impudenter finxerit, fidem faciet, illum auctorum libris perscrutandis alienisque opinionibus perpendendis maiorem diligentiam adhibüisse quam Livium. Accedit quod cum Nitzsch Polybium in usum vocatum esse ob eam causam neget, quod nunquam nominetur, ne Valerius quidem in libris 21—24 commemoratur.

Alii permulti illum consensum oriri non potuisse contendunt, nisi Polybius et Livius communem quendam ducem secuti essent. Quem communem utriusque auctorem fuisse velint, id scire nostra nihil refert, cum omnino haec opinio nobis falsa esse videatur. Nam si communem auctorem adhibitum esse dicas, ostendas necesse sit, quomodo factum sit, ut Polybius et Livius in aliis rebus consentirent, in aliis discreparent. Sed eas res spectanti, in quibus convenit Livio cum Polybio, nihil tibi verisimilius erit quam eas ex ipso Polybio haustas esse. Discrepantiarum contra magnam partem non ex communi quodam fonte fluxisse facile intelleges. Tria enim sunt genera discrepantiarum. Scilicet saepe unus auctor parvam aliquam rem narrat, cuius alter mentionem non facit; veluti quae Livius 21 · 21 · 9 et 21 · 22 · 5 sqq. de Hannibalis itinere Gadis facto et prodigio ad Hiberum viso memorat, a Polybio apud communem auctorem inventa quidem, sed consulto omissa esse dicas. — Deinde non raro aliqua res ab uno auctore paulo aliter narratur quam ab altero, velut

Liv. 21·23·3 sqq. decem milia peditum Hannoni ad praesidium obtinendae regionis data et mille equites . . tria milia inde Carpetanorum peditum iter averterunt . . Hannibal supra septem milia hominum domos remisit, Carpetanos quoque ab se dimissos simulans.	Pol. 3·35·5 sqq. *ἀπεμέρισε δὲ τῆς δυνάμεως ἧς εἶχε τῷ μὲν Ἄννωνι πεζοὺς μυρίους, ἱππεῖς δὲ χιλίους . . εἰς δὲ τὴν οἰκείαν ἀπέλυσε τοὺς ἴσους τοῖς προειρημένοις, βουλόμενος . .*

Hic si quis Livium communis ducis vestigia accuratius expressisse dicat quam Polybium, non habeam quod contra moneam. Vel cum Livius (22 · 3 · 8) *omnes*, Polybius (3 · 82 · 4) *nonnullos* Flaminio oblocutos esse dicat, non improbem, si apud communem auctorem scriptum fuisse putes *plerosque* contra Flaminium sententiam dixisse.

At si Livius et Polybius aperte inter se pugnant, tum quidem ex communi fonte non potuerunt haurire. Velut si contuleris quae apud Livium 21 · 48 · 8 scripta sunt: „nec procul inde Hannibal cum consedisset, quantum victoria equestri elatus, tantum *anxius inopia*, quae *per hostium agros* euntem nusquam praeparatis commeatibus maior in dies excipiebat“, et ea, quae Polybius 3 . 68 · 8 ceteris rebus cum Livio concinens tradit *„Ἀννίβας δὲ περὶ τετταράκοντα σταδίους ἀποσχὼν τῶν πολεμίων αὐτοῦ κατεστρατοπέδευσε. τὸ δὲ τῶν Κελτῶν πλῆθος τὸ τὰ πεδία κατοικοῦν, συνεξεστηκὸς ταῖς τῶν Καρχηδονίων ἐλπίσι, δαψιλῶς μὲν ἐχορήγει τὸ στρατόπεδον τοῖς ἐπιτηδείοις, ἕτοιμον δ' ἦν παντὸς κοινωνεῖν ἔργου καὶ κινδύνου τοῖς περὶ τὸν Ἀννίβαν“*, quam mediam inter Livium et Polybium memoriam apud communem auctorem extitisse dicas? Nonne concedas necesse est, Livium nimio Romanorum studio inductum ea tacuisse, quae apud Polybium legisset, et de industria illa contraria aut ipsum finxisse aut quod vero propius est, ex auctore Romano arripuisse? Hae igitur discrepantiae, quarum numerus haud parvus est [1]), cum non neglegentiae aut Polybii aut Livii debeantur, sed a certa ratione certoque consilio profectae sint, quanquam propter illas ipsas viri docti ad communem Polybii et Livii auctorem confugerunt, tamen hoc artificio non facilius explicantur quam si Livium ipso Polybio usum esse iudicamus. Quamobrem cum nullam aptam causam videamus, cur Polybium et Livium ex communi quem dicunt fonte derivemus, hanc opinionem non amplius curabimus.

Age vero, cum neque ab eis, qui Livium in libris XXI et XXII Polybio usum esse negant, neque ab eis, qui utrumque auctorem communis cuiusdam ducis vestigia expressisse contendunt, probabiles causae in medium prolatae sint, quid obstat, quominus Polybium a Livio in usum vocatum esse dicam? praesertim cum nonnullae res, dum Livium diligentius lego et cum Polybio comparo, hanc sententiam mihi confirmaverint.

[1]) Multas congessit Woelfflin in editione libri XXI (p. XX). Cum nostro loco cf. Pol. 3·66·6-7 et Liv. 21·47·7.

Primum enim Livius, quotiens in his libris Coelium nominat, totiens eum reprehendit, quod res fide parum dignas memoriae prodiderit; nam

21 · 38 · 7 eum erravisse dicit de via, qua Hannibal Alpes transierit;

21 · 46 · 10 haec scripta habet: „servati consulis decus Coelius ad servum natione Ligurem delegat. malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores et fama obtinuit“;

21 · 47 · 4 Coelium de Hannibalis exercitu Padum transeunte falsa ac ficta narravisse contendit;

22 · 31 · 9 Coelium fugisse dicit, Fabium non dictatorem sed pro dictatore fuisse.

Ex his locis sequitur Livium potiores auctores habuisse, ex quibus cognosceret Coelium non certae ubique fidei scriptorem esse. Neque desunt loci, quibus Livius ipse se complurium auctorum libros evolvisse affirmet, velut

21 · 25 · 3—4 triplicem memoriam esse dicit de nominibus triumvirorum, qui Placentiae agrum adsignaverint;

21 · 28 · 5 de elephantis traiectis duplicem famam commemorat, quarum de altera minus, de altera magis constet;

21 · 38 comparat quae Cincius Alimentus et duo alii rerum scriptores de numero copiarum memoriae prodiderint, quae Hannibali in Italiam transgresso fuerint;

21 · 46 · 10 plures auctores contra Coelium testes habet;

21 · 47 · 6 Coelio potiores apud se auctores esse dicit;

22 · 7 · 4 Fabium auctorem laudat;

22 · 31 · 9 non solum Coelium sed omnes prope annalium scriptores de Fabii Maximi imperio erravisse ait;

22 · 36 de numero militum Romanorum, qui apud Cannas pugnaverint, auctores in duas partes abire dicit;

22 · 61 · 10 miratur de captivis Cannensibus adeo discrepare inter auctores, ut quid veri sit discernere nequeas.

Itaque nullam omnino video causam, cur Livio complures se auctores inter se comparavisse identidem affirmanti fidem non habeam. Quod si Livius fecit, sine dubio Polybius in auctorum eius numero fuit.

Neque eis solis quos commemoravimus locis Livium complurium auctorum libros inspexisse, sed eorum narrationes composuisse etiam

ex eo efficitur, quod in libris XXI et XXII saepius inter se dissidentia tradit. Nam hae contradictiones certe non ab uno auctore, qui rebus interfuerat, profectae, sed ita ortae sunt, ut rerum inter se pugnantium aliae ex aliis peterentur auctoribus. Et sane Piso et Coelius, qui inter primos de bello Hannibalico nec plures quam septenos libros scripserunt, si tam saepe inter se non convenientia tradiderunt, vehementius reprehendendi sunt quam Livius, cuius aetate multiiuga multorum annalium scriptorum volumina extabant quique unus tot libros confecit, ut eas res, quarum memoria variaret, diligenter perscrutari ac perpendere propter temporis angustias ei vix liceret. [1])

Unum vero, in quo Livius sibi non constat, maximi momenti est; Sagunti enim excidium a Livio 21 · 6 · 3 ad annum 218 a. Chr. n., qui primus est belli Punici alterius, reliquis eiusdem scriptoris locis ad annum 219 refertur. Huius rei diversam memoriam C. Peter et Woelfflin ex duobus fontibus haustam esse iudicaverunt et annum 218 Woelfflin Coelio deberi existimat. At verisimile est apud Coelium non secus atque apud Liv. 21 · 21 · 9 Hannibalem Sagunto expugnato, priusquam Hiberum transiret, Gadis profectum esse ad vota Herculi exsolvenda, quippe cuius rei Polybius mentionem non fecerit. Hinc autem sequitur, ne a Coelio quidem longinquam Sagunti obsidionem, iter illud Hannibalis, transitum Alpium, denique proelia ad Ticinum Trebiamque commissa in unum eundemque annum 218 a. Chr. n. conferri potuisse. Deinde cum Livius l. 21 c. 15, ubi Saguntum non anno 218 oppugnatum esse intellexit et errorem suum corrigere temptavit, nullam aliam famam commemoraverit quam cuius Polybius auctor est, nullam omnino aliam novisse mihi videtur. Atque XXI · 15 Livius in novum errorem incidit; nam cum §. 3 Hannibalem Sagunto capto Carthaginem novam in hiberna concessisse dicat, tamen §. 5 iterum opinatur, Saguntum principio anni 218 captum esse. Accedit quod Livius identidem Coelii narrationem recte se

---

[1]) Si ex 1 · 19 · 3 coniecturam facere licet, Livius historiam scribere coepit anno fere 27 a. Chr. n.; mortuus est a. 17 p. Chr. n. Quadraginta igitur et quattuor fere annis centum quadraginta duos libros confecit, vel ternis quaternisve mensibus singulos libros; neque minus operae consumpsit in oratione et stilo perpoliendis quam in rebus explorandis.

habere negat: quod si Coelius Saguntum anno 218 captum tradidisset, a Livio XXI·15 eo nomine vituperatus esset. Itaque Livium ipsum illius erroris auctorem esse credo, neque Polybii et Livii annorum ratione comparata me fugit, quomodo factum sit, ut Livius de temporibus erraret.

Nam apud Polybium hunc rerum gestarum ordinem invenimus: Anno 241 a. Chr. n. pace vix facta bellum Africum ortum tribusque annis et quattuor mensibus post (extremo anno 238) confectum est [1]). Tum Hamilcar statim (*εὐϑέως* 2 · 1 · 5) in Hispaniam missus est ibique ferme novem annos (2 · 1 · 7 *ἔτη σχεδὸν ἐννέα*) vixit (usque ad medium fere annum 229). Quo mortuo Hasdrubal per octo annos (2 · 36 · 1) imperavit (ad med. ann. 221). Tum Hannibal dux creatus statim Olcades subegit (a. 221, cf. 3 . 13 . 5) et postero anno (220) contra Vaccaeos et Carpetanos bellum gessit (3 · 14); deinde postquam Carthagine nova hiemavit (a. 220/19, cf. 3 · 15 · 3), Saguntum aggressus est.

Plane diversam annorum rationem Livius sequitur (21, 2, 1—3): in Africa per quinque annos bellum gestum esse tradit (241—236); deinde Hamilcarem in Hispania versatum esse per novem annos (236—227); tum Hasdrubalem octo ferme annos imperium obtinuisse (227—219).

Apud Polybium igitur Hannibali imperium defertur anno 221, apud Livium a. 219, unde coniecturam facere licet, Livium auctorem quendam habuisse Romanum, qui Hannibalem, cum dux factus esset, statim bellum Romanum in animo agitasse et causam belli quaerentem Saguntinos aggressum esse diceret. Cum hoc auctore concinunt Appianus (l. 7. c. 10) et Zonaras (l. 8. c. 21), qui bella contra Olcades, Vaccaeos, Carpetanos gesta non commemorant, fortasse etiam Aurelius Victor (?) de viris illustribus (cap. 42), qui Hannibalem mortuo *patre* Saguntum intra sex menses [2]) evertisse dicit. Neque mihi dubium est, quin ex eodem communi auctore profecta sint, quae Liv. 21 · 5 · 1 tradit: „Ceterum ex quo die dux est declaratus, velut *Italia* ei provincia decreta bellumque

---

[1]) Cf. Pol. I. 66 et 88·7. Diod. Sic. 25·11 bello Africo quattuor annos et quattuor menses tribuit.

[2]) Pol. 3·17·9 et Liv. 21·15·3 octo menses exhibent; sed in eum annum, quo Hannibal dux factus est, sex menses melius cadunt.

Romanum mandatum esset, *nihil prolatandum ratus* .... Saguntinis inferre bellum statuit"; nam haec non conveniunt cum eis quae sequuntur quaeque Livio cum Polybio (3 · 14 · 10) communia sunt: „quibus oppugnandis, quia haud dubie Romana arma movebantur, in Olcadum prius fines induxit exercitum, ut non petisse Saguntinos, sed rerum serie, finitimis domitis gentibus, iungendoque tractus ad id bellum videri posset". Non aliter igitur atque Polybius (III. 13 et 14) Livius expeditiones Hannibalis contra tres illos Hispaniae populos factas narrat; ea autem hiberna Carthagine nova facta, quae Pol. 3 · 15 · 3 commemorat, Livius omittit, cum Polybium inde a 3 · 14 · 10 reliquerit, et Hannibalem eodem anno, quo Vaccaei et Carpetani victi dicuntur, Saguntum aggredientem facit. Ita factum est, ut Livius 21 · 6 · 3, cum iam inter mortem Hasdrubalis (219) et Sagunti oppugnationem unus annus intercederet, legatos Saguntinorum anno 218 Romam venisse putaret.

Quare non dubito, quin Livius §§. 3—17 cap. 5 l. 21 ex Polybio petiverit et in auctoris cuiusdam Romani narrationem inseruerit [1]).

Praeterea in Livii libris XXI et XXII nonnulli occurrunt loci, quos vix intellegas, nisi Livium verba Polybii in aliam ac dicta sint partem accepisse concedas. Eos congessit Woelfflin in prooem. edit. Livii l. XXI (p. XXI) [2]).

Accedit quod Livium in libris XXXI—XLV Polybio usum esse nemo negat. Nonne igitur admodum verisimile est Polybium Livio iam tum notum fuisse, cum tertiam decadem scriberet? Iam extremo tertiae decadis libro ipse semel profitetur se Polybium secutum esse [3]). Quin etiam Keller, qui et Polybium et Livium in bello Hannibalico enarrando Pisonis vestigia expressisse pro certo habet, p. 159 monet, Livium in tertia quoque decade eas res,

---

[1]) „*Ceterum* weist auf Benützung einer neuen Quelle", Woelfflin ad Liv. 21·5·1. Conf. 21·6·1, 57·5, 60·8; 22·36·6, 41 · 1 et 2 (23·14·1; 19· 1).

[2]) Adde Liv. 21·60·3. exposito ibi exercitu = Pol. 3·76·2 *ἀποβάσεις ἐποιεῖτο*; 22·1·2 = Pol. 3·78·5; 22·47·8 (clausere ab tergo) = 3·115·11 (*μέσους ἀπολη φϑῆναι*).

[3]) L. 30·45·5 hunc regem in triumpho ductum Polybius, haud quaquam spernendus auctor, tradit. Cf. p. 7. n. 3.

quae ad Graecos pertineant, plerasque ex ipso Polybio hausisse; et H. Droysen [1]) eum in l. 26 c. 42 in describenda Carthagine nova Polybio (l. 10 c. 10) usum esse gravissimis argumentis docuit.

Itaque dubium nobis non est, quin iam in libris XXI et XXII Livius Polybium auctorem habuerit.

[1]) in mus. rhen. nov. ser. vol. 30. pag. 62 sqq. 1875.

Caput III.

Priusquam exponam, qua ratione Livius tertio Polybii libro usus sit, pauca de ipso Polybio in vulgus nota praemonere liceat [1]).

Polybius Megalopolitanus, qui vixit intra annos fere 208 et 122 a. Chr., Lycortae ducis Achaeorum filius, iuvenis rei publicae operam suam domi bellique praebuit. Postquam anno 183 publice missus feralem urnam Philopoemenis, cuius vitam postea tribus libris exposuit, ex Messenia Megalopolim advexit [2]), anno 167 cum mille Achaeis Romam ductus ibique per annos septendecim consuetudine Scipionis Africani minoris eiusque amicorum usus est. Decessit annum agens octogesimum alterum, certe post bellum Numantinum, quippe quod separatim enarraverit.

Immortalem vero memoriam eo opere consecutus est, quo res Romanorum eorumque populorum, qui sub imperium Romanum redacti erant, inde a primo bello Punico usque ad excidium Carthaginis quadraginta libris eo consilio descripsit, ut exponeret, quomodo Romani annis 220—168 omnium terrarum imperio potiti essent. Et certe Polybius maxime erat idoneus, qui bella Romanorum et Carthaginiensium iudicio integro et incorrupto describeret, cum rebus belli et pacis praefuisset neutriusque illorum populorum civis esset.

In bello Hannibalico enarrando et maxime in libro tertio componendo optimis profecto fontibus usus est. Nam, ut ipse tradit, ex eis qui rebus interfuerant nonnulla percunctatus est (cf. 3·48·12), Africam Hispaniam Galliam Alpes Italiam peragravit (cf. 3·48·12 et 59·7), etiam vetera rerum monumenta, velut tabulas foederum [3]) et inscriptionem Laciniam (cf. 3·33·18),

[1]) Quanquam haec disputatio de Polybio non cohaeret cum quaestione de Livii auctoribus instituenda, tamen cum L. Keller dubitet de Polybii ingenio et fide eumque Pisonis annales transscripsisse contendat, eam ad meum officium pertinere arbitror.

[2]) Cf. Plut. Phil. 21·4 et Pol. X·21·5.

[3]) Cf. 3·22·3. Mommsen (röm. Chronologie p. 323) Polybium foederum

inspexit; nec minore studio libros veterum scriptorum lectitavit: Fabii (cf. III. 8), Chaereae et Sosili (cf. 3·20·5). sine dubio etiam Sileni [1]).

Quo tempore itinera, quae ab ipso commemorantur, fecerit et quando historias incohaverit, non constat. Sed cum Romae minime diligenti custodia asservatus sit neque ante 3·5·6 Carthaginis aut Corinthi deletae mentionem faciat, nihil obstat, quominus eum iam ante annum 146 itinera aliquot fecisse et historiam scribere coepisse sumamus.

Neque quemquam ex scriptoribus antiquis, qui secundum bellum Punicum enarraverunt, iudicio integriore et liberiore usum esse quam Polybium, et ex prooemiis nonnullorum librorum intellegitur et ex digressionibus inter narrationem rerum gestarum insertis, quarum disputationum summa ex libris veteribus peti non poterat. In tertio igitur libro, qui res ab Hannibale usque ad pugnam Cannensem gestas continet, per digressiones haec exponuntur: cap. 6—12 quae fuerint *αἰτίαι, ἀρχαί, προφάσεις* belli Hannibalici, cap. 22—32 quae foedera Romanis cum Carthaginiensibus fuerint, cap. 36—39, 47—48, 57—59 descriptione terrarum neglecta historiam recte intellegi non posse, cap. 81 adversariorum mores novisse belli ducibus maxime conducere.

Qua ratione Livius ea quae a Polybio tradita essent mutaverit, optime exposuit Woelfflin in prooemio editioni libri XXI praemisso (inde a pag. XVIII); nobis haec addenda videntur.

Primum Livius omnes Polybii digressiones prorsus praeteriit exceptis eis, quae XXI·19 de iure foederum monuit; nec minus ea neglexit, quae Polybius, ut Graecis legentibus consuleret, continuae narrationi interposuerat, velut 3·52·3 de ramis pacem significantibus, 3·71·2 de insidiis, quae in locis apertis collocarentur, 3·72·10 de Numidarum more pugnandi, 3·72·12 et 107·10 de legionibus Romanis, 3·86·2 de Arimino, 3·110·9 de Aufido flumine.

Deinde Livius nonnusquam ea, quae Polybius pluribus verbis

verba aut ex Catonis originibus transtulisse aut audiendo accepisse suspicatur. Contra eum bene disseruit Henricus Nissen in Fleckeiseni annalib. philol. 1867 pag. 329.

[1]) Cf. 3·47·6 sqq. cum Cic. de div. 1·24·49. — L. Calpurnio L. f. Pisone Censorio Frugi, qui anno 149 tribunus plebei, a. 133 consul, a. 120 censor fuit, auctore uti Polybius vix potuit; cf. Herm. Peter vet. hist. Rom. rell. p. CLXXXXIV.

exposuerat, paucis complexus est, quae ille breviter comprehenderat, latius exposuit, quo facilius legentes perciperent; sed saepe Polybii verba non accurate reddit. Exempli gratia velim conferas:

Pol. 3·50·9. *συντάξας τὰ πυρὰ καίειν τὸ μὲν πλεῖον μέρος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ κατέλιπε· τοὺς δ' ἐπιτηδειοτάτους εὐζώνους ποιήσας, διῆλθε τὰ στενά.*	Liv. 21·32·12. pluribus ignibus quam pro numero manentium in speciem factis impedimentisque cum equite relictis et maxima parte peditum ipse cum expeditis, acerrimo quoque viro, raptim angustias evadit.
Pol. 3·52·3. *Οἱ γὰρ περὶ τὴν δίοδον οἰκοῦντες συνήντων αὐτῷ θαλλοὺς ἔχοντες καὶ στεφάνους κ. τ. έ.*	Liv. 21·34·2. magno natu principes castellorum oratores ad Poenum veniunt etc.
Pol. 3·53·7. *οἱ μὲν ἀπὸ τῆς οὐραγίας, οἱ δὲ ἀπὸ τῆς πρωτοπορείας ἀπέσπων τῶν σκευοφόρων ἔνια, προσπίπτοντες εὐκαίρως.*	Liv. 21·35·2. Inde montani pauciores iam et latrocinii magis quam belli more concursabant modo in primum, modo in novissimum agmen, utcumque aut locus opportunitatem daret aut progressi morative aliquam occasionem fecissent.
Pol. 3·65·5. *προθέμενος τοὺς ἀκοντιστὰς καὶ τοὺς ἅμα τούτοις Γαλατικοὺς ἱππεῖς, τοὺς δὲ λοιποὺς ἐν μετώπῳ καταστήσας.*	Liv. 21·46·5. iaculatores et Gallos equites in fronte locat, Romanos sociorumque quod roboris fuit, in subsidiis.
Pol. 3·53·9 *ἐναταῖος δὲ διανύσας εἰς τὰς ὑπερβολὰς αὐτοῦ κατεστρατοπέδευσε καὶ δύ' ἡμέρας προσέμεινε.*	Liv. 21·35·4. Nono die in iugum Alpium perventum est per invia pleraque et errores, quos aut ducentium fraus aut, ubi fides iis non esset, temere initae valles a coniectantibus iter faciebant. biduum in iugo stativa habita.

Accedit quod Livius interdum res alio ordine disposuit. Velut in enumerandis copiis, quibus Hannibal Africam et Hispaniam firmat, Polybius [1]) primum equites nominat, tum pedites, tum Baliares, Livius primum pedites, tum Baliares, tum equites, Polybius primum navales copias, tum terrestres, Livius primum terrestres, tum navales. — Item in describenda acie Poenorum Cannensi Polybius (3·113·7) primum laevum cornu depingit, tum mediam aciem, tum dexterum cornu, Livius (22·46·2—3) a laevo cornu ad dexterum progreditur, deinde ad mediam aciem [2]). — Item Hannibal ap. Pol. 3·66·11 uno die post, quam ad Trebiam venit, aciem instruit, Romanis pugnam detractantibus castra locat; ap. Liv. 21·47·8, ubi advenit, castra communit, postero die potestatem pugnandi facit. Praeterea conferas

Pol. 3·54·1 sqq.	Liv. 21·35·7 sqq.
θεωρῶν τὰ πλήθη δυσθύμως διακείμενα καὶ διὰ τὴν προγεγενημένην ταλαιπωρίαν καὶ διὰ τὴν ἔτι προσδοκωμένην, ἐπειρᾶτο συναθροίσας παρακαλεῖν, μίαν ἔχων ἀφορμὴν εἰς τοῦτο τὴν τῆς Ἰταλίας ἐνάργειαν· οὕτως γὰρ ὑποπεπτώκει τοῖς προειρημένοις ὄρεσιν, ὥστε συνθεωρουμένων ἀμφοῖν ἀκροπόλεως φαίνεσθαι διάθεσιν ἔχειν τὰς Ἄλπεις τῆς ὅλης Ἰταλίας. διόπερ ἐνδεικνύμενος αὐτοῖς τὰ περὶ τὸν Πάδον πεδία, καὶ καθόλου τῆς εὐνοίας ὑπομιμνήσκων τῆς	per omnia nive oppleta cum signis prima luce motis segniter agmen incederet, pigritiaque et desperatio in omnium vultu emineret, praegressus signa Hannibal in promunturio quodam, unde longe ac late prospectus erat, consistere iussis militibus Italiam ostentat subiectosque Alpinis montibus Circumpadanos campos, moeniaque eos tum transcendere non Italiae modo, sed etiam urbis Romanae; cetera plana, proclivia fore; uno aut summum altero proelio arcem ac caput Italiae in manu ac potestate ha-

[1]) Cf. Pol. 3·33, Liv. 21·21·11 sqq., Woelfflin p. XVIII. Boettcher p. 372 ist der Ansicht, dass eine solche Stelle „bei ihrer benutzung wegen der speciellen zahlenangaben eigentlich nur ein wörtliches abschreiben gestattet".

[2]) Cf. Liv. 30, 33 cum Frontini, strat. 2, 3, 16; Holm, Sicilien vol. 2, pg. 347.

τῶν κατοικούντων αὐτὰ Γαλατῶν, ἅμα δὲ καὶ τὸν τῆς Ῥώμης αὐτῆς τόπον ὑποδεικνύων ἐπὶ ποσὸν εὐθαρσεῖς ἐποίησε τοὺς ἀνθρώπους. Τῇ δ' ἐπαύριον ἀναζεύξας ἐνήρχετο τῆς καταβάσεως.	bituros. procedere inde agmen coepit.

Apud Livium igitur Hannibal milites adhortatur eo ipso die, quo de iugo Alpium descendere incipiunt, apud Polybium priore die [1]). Illud autem Livius tacuit, Gallos cisalpinos Hannibali magis favisse quam Romanis; neque id casu eum fecisse sed de industria ex eo videtur sequi, quod compluribus aliis locis Hannibalem minus a Gallis adiutum fingit quam Polybius [2]). Etiam verba Hannibalis, quibus milites adhortatus sit, Livius refert, certo ex suo ingenio ficta; et cum Polybius Alpes arcem quandam Italiae appellet, Livius Hannibalem dixisse indicat se moenia Italiae et Romae iam transcendere. Similiter 21·21·3 sqq. Hannibal contionans et 21·53 Sempronius verba faciens inducuntur, cum Polybius simpliciter dicat, quid cogitaverint.

Denique Livius haud raro vocabula militaria, quae ex aliorum bellorum narratione memoria tenebat, Polybianis iis locis inseruit, quibus minus apta sunt. Velut 21·56·3 (cf. Pol. 3·74·6) Romani, qui in pugna ad Trebiam commissa hostium aciem perrupere, *recto itinere* Placentiam pergunt. 22·19·2 (cf. Pol. 3·96·4) duae naves *primo concursu* capiuntur. 21·33·9 et 34·9 (cf. Pol. 3·51·6 et 53·3) Hannibalis agmen a montanis *interrumpitur*. 21·33·2 [3]) montani *signo dato* ex *castellis* [4]) ad *stationem* solitam convenientes *arce* occupata sua terrentur. Scipio victus 21·47·2 (cf. Pol. 3·66·1) *proxima nocte silentio* castra movet. Manlius praetor 21·25·9 (cf. Pol. 3·40·12) et Flaminius consul 22·4·4 (cf. P. 3·83·7) *inexplorato* profecti in insidias praecipitantur. „*Luce prima*" additur 21·32·10 et 35·7 (cf. P.

[1]) Etiam contionem apud Rhodanum habitam Livius alio loco posuit quam Polybius; cf. Woelfflin ad Liv. 21·30.

[2]) Cf. Woelfflin prooem. p. XX.

[3]) Cf. Pol. 3·51·1 *οἱ βάρβαροι συνθεασάμενοι τὸ γεγονός.*

[4]) Cf. Pol. 3·50·9 *ἀποκεχωρηκότων τῶν βαρβάρων εἰς τὴν πόλιν.*

3·50·8 et 54·4). Pugnae committuntur aut *sublato clamore* aut priusquam milites *arma capere et aptare* (21·55·1; 22·5·3 et 19·10) potuerunt. Ex simplici colloquio, quod apud Pol. 3·82·4 commemoratur, Livius 22·3·9 *consilium* facit, ex Gallis ad castra Romana festinantibus 21·56·6 *legatos* (cf. Pol. 3·69·7), ex barbaris amicitiam simulantibus 21·34·2 *principes oratores* missos (cf. P. 3·52·3), ex Bois colloquium petentibus 21·25·7 *principes Gallorum* (cf. P. 3·40·10). — Apud Polybium 3·77·3 et 87·2 Hannibal primam hiemem in Italia sub divo agit, apud Livium 22·1·1 in hibernis (quanquam Livius eum per totam hiemem huc et illuc iter facientem induxit).

Verbum Polybianum quod est *καταστρατοπεδεύειν* (considere, consistere) Livius raro stricte vertit, velut

Pol. 3·68·7.	Liv. 21·48·8.
Ἀννίβας δὲ περὶ τετταράκοντα σταδίους ἀποσχὼν τῶν πολεμίων αὐτοῦ κατεστρατοπέδευσε.	nec procul inde Hannibal cum consedisset.
Pol. 3·83·7.	Liv. 22·4·4.
κατεστρατοπεδευκὼς πρὸς αὐτῇ τῇ λίμνῃ.	cum ad lacum pervenisset.

Plerumque Livius *καταστρατοπεδεύειν* ita accipit, ut castra posita esse dicat [1]), velut

Pol. 3·55·6.	Liv. 21·37·1.
ἐστρατοπέδευσε περὶ τὴν ῥάχιν.	castra in iugo (Alpium) posita.
Pol. 3·50·5.	Liv. 21·32·9.
καταστρατοπεδεύσας πρὸς ταῖς ὑπερβολαῖς ἐπέμενε.	castra inter confragosa omnia praeruptaque locat.
Pol. 3·83·2.	Liv. 22·4·3.
κατεστρατοπέδευσε.	ibi castra in aperto locat.

Deinde Livius castris munimenta addit [2]) velut

---

[1]) castra ponere = *ποιεῖσθαι τὴν παρεμβολήν* Pol. 3·52·1 (Liv. 21·33·11 haec castra non commemorat).

[2]) Cf. Pol. 3·68·6 (*Πόπλιος ἐστρατοπέδευσε καὶ*) *περιλαβὼν* (Sch. pro *περιβαλὼν*) *τάφρῳ καὶ χάρακι τὴν παρεμβολὴν* etc. = Liv. 21.48·7 locum delectum communiit.

Pol. 3·50·8.	Liv. 21·32·12.
οὐ μακρὰν τῶν πολεμίων κατεστρατοπέδευσε.	cum eodem, quo constiterant, loco castra communissent [1]).

Denique Livius castra posita vel communita esse interdum ibi dicit, ubi Polybius nec castra locata nec signa consistere iussa esse commemorat, velut

21·5·9 (cf. P. 3·14·5) Hannibal Carpetanis agmen suum turbantibus super ripam Tagi *castra ponit*, ut silentio facto amnem traiciat eiusque adiumento se defendat;

21·25·10 Manlius Gallis instantibus *castra communit* [2]), ut refectis militum animis iter facere pergat;

21·27·6 Hanno Rhodanum transgressus *castra ponit* uniusque diei quiete militem reficit [3]);

21·32·1—2 Scipio ad Rhodanum deserta *munimenta* castrorum Hannibalis videt [4]).

Item Livius nonnusquam auxilia commemorat [5]), ubi Polybius eorum non facit mentionem. Omnino autem quid sint auxilia apud Livium, quid socii, difficile est dictu, nisi forte hic quoque valet, quod modo pag. 29 de vocabulis militaribus quasi flosculorum loco positis monuimus. Atque in Hannibalis quidem exercitu, qui proprie Afri dicuntur, soli auxiliorum nomine excludi videntur, cum et Numidae (22·45·4) et Hispani (24·49·8) et Galli (21·56·2) inter auxilia numerentur. A parte Romanorum contra eodem vocabulo designantur, qui extra Italiae fines incolunt, velut copiae ab Hierone missae (22·37·4 et 56·8—10,) Hispani (21·60·4), Cenomani (21·55·4) aliique Galli (21·56·1), qui levis plerumque armaturae esse dicuntur, cum sociorum nomine intellegantur milites nominis Latini (21·55·4 et 22·37·7). Sed quam sibi non constet ipse Livius, inde potissimum cognoscitur, quod 22·57·10

---

[1]) Hic munimenta quidem inutilia esse loco inspecto facile intelleges.

[2]) Cf. Pol. 3·40·13 *συνέστησαν.*

[3]) Cf. Pol. 3·42·9 *καταλαβόμενοι δὲ τόπον ἐχυρὸν ἐκείνην τὴν ἡμέραν ἔμειναν.*

[4]) Cf. Pol. 3·49·1 *παραγενόμενος ἐπὶ τὴν τοῦ ποταμοῦ διάβασιν,* sed 3·45·3 *οἱ Ῥωμαῖοι συνεγγίσαντες τῷ τῶν Ῥωμαίων χάρακι;* de „quadrato agmine" ap. Liv. 21·32·1 conf. Woelfflin Antioch. p. 83.

[5]) 21·55·4 (auxilia Cenomanorum) et 56·1 (Gallos auxiliares); 22·3·9 (equitatu auxiliisque levium armorum, cf. Pol. 3·75·7, Liv. 24·30·13), 22·45·7 (iaculatores cum ceteris levium armorum auxiliis; Pol. 3·113·4 *τοὺς εὐζώνους.*

„socios Latinumque nomen“ et 22 · 27 · 11 „socium et Latini nominis auxilia“ commemoravit. Quae cum ita sint, neque Vielhabero [1]) assentior, qui apud Livium auxilia a sociis semper accurate distingui eorumque in libris XXI et XXII raro mentionem fieri dicit, neque Boettcheri opinionem probo, qui (p. 425) verba Livii 22 · 19 · 4 „propter ingentem famam novorum auxiliorum“ ex Pol. 3 · 95 · 5 *„ἀκούων τὸ πλῆθος τῶν δυνάμεων“* hauriri potuisse negat.

Denique cum Polybius interdum ita res narrare et homines describere satis habuerit, ut nomina neglegeret, Livius ex altero fonte illa addidit, velut

Pol. 3 · 40 · 14 *ἡγεμόνα συστήσαντες ἐξαπέλεκυν.*	Liv. 21 . 26 · 2 C. Atilium praetorem.
Pol. 3 · 42 · 1 *προσμίξας τοῖς περὶ τὸν ποταμὸν τόποις.*	Liv. 21 · 26 · 6 in Volcarum pervenerat agrum.
Pol. 3 · 49 · 8 *ἐπισπωμένου τοῦ πρεσβυτέρου.*	Liv. 21 · 31 · 6 maior, Brancus nomine.
Pol. 3 · 69 · 1 *ἀνδρὸς Βρεντεσίνου.*	Liv. 21 · 48 · 9 Dasio Brundisino.
Pol. 3 · 78 · 8 *διά τινων ἑλῶν.*	Liv. 22 · 2 · 2 per paludes, qua fluvius Arnus . . . inundaverat.
Pol. 3 · 84 · 6 *τινὲς τῶν Κελτῶν.*	Liv. 22 · 6 · 3 Insuber eques — Ducario nomen erat.

Hoc fere modo Livius verba Polybii partim consulto partim fortuito idque haud leviter mutavit. Maxime autem Polybium consuluit de eis rebus, quae ad pugnas exercituumque itinera pertinent. Itaque, ut minora quaedam omittam, hae fere librorum XXI et XXII partes summatim cum tertio Polybii libro concinunt [2]).

XXI · 5 primae Hannibalis expeditiones enarrantur prorsus simili modo atque apud Pol. III · 13—14. Quae una est paulo gravior discrepantia de nomine urbis Olcadum, quam Livius (§. 4)

[1]) Stud. Liv. I. p. 39. n. 47.
[2]) De ea re accurate disseruit C. Peter.

Cartalam, Polybius (13 · 5) *Ἀλθαίαν* (codd. *Ἀλθίαν*) appellat, eam neglegentiae sive ipsius Livii sive librariorum deberi existimo. Cum Hiberum transire Hannibali per foedus Hasdrubalis non licuisset, Livius (§. 3) recte intellexit, illam gentem trans Hiberum fuisse. Praeterea a Livio addita sunt ea, quae ad praedam pertinent (§. 4 diripit, opulentus praeda, §. 5 large partiendo praedam, §. 8 agmen grave praeda), nec minus §. 12 clamore sublato, §. 9 castris super ripam positis, §. 16 agmine quadrato. Ex §. 9 „vallo ita producto“ apparet Livium verba *„πρόβλημα ποιησαμένου τὸν Τάγον ποταμόν“* (14 · 5) non recte intellexisse [1]). Denique Livius §. 5 *„ταῖς δυνάμεσι“*, quod legitur 13 · 8, libere vertit „cunctis civium sociorumque animis“.

XXI · 21—23 Livius eadem fere de copiis ab Hannibale in Africam missis et in Hispania relictis et de itinere Poenorum ad Pyrenaeos montes facto tradit, quae apud Polybium 3 · 33—35 leguntur; inseruit tamen ex altero auctore Hannibalem Gadis profectum esse [2]), in somnio ab eo visum esse ducem ab Jove missum [3]), Carpetanos iter avertisse.

XXI · 25 narratio de Boiorum Insubriumque tumultu maiore ex parte ex Pol. 3 · 40—41 hausta est, quanquam multis aliunde intermixtis, praesertim nominibus triumvirorum et numeris militum occisorum. Verbis „nec tam ob veteres in populum Romanum iras“ (§. 2) Livius aperte pugnat contra Pol. 3 · 40 · 6 *„πάλαι οἷον λοχῶντες τὴν πρὸς Ῥωμαίους φιλίαν“*.

XXI · 26 (§. 3)— 30. Quae Livius tradit de Romanis Poenisque ad Rhodanum versantibus, pleraque ex Pol. cap. 41—45 petivit. Apud Polybium non inveniuntur nomen Volcarum (26 · 6), prior fama de elephantis traiectis (28 · 5), praeterea quae Livius narrat de Hispanis amnem tranantibus (27 · 5) et de caerimoniis Gallorum pugnam committentium (28 · 1). Aut Livii aut librariorum incuria ortum videtur „sexaginta“ (29 · 3) pro *τετταράκοντα* (Pol. 45 · 2). Oratio, quam Hannibal cap. 30 pronuntiat, paulo ampliata eadem continet, quae Pol. 44 · 10—12 commemorat; c. 30 §§. 7—8 similitudinem habent cum Pol. 3 · 48 · 6—7.

XXI · 31—37, in describendo Alpium transitu [4]) Livius maxi-

[1]) Cf. Woelfflin prooem. p. XXI, Vielhaber I p. 48.
[2]) Cf. Liv. 21 · 21 · 9 et 22 · 5, Boettcher p. 376 et 377.
[3]) Cf. Liv. 21 · 22 · 5—9, Woelfflin Ant. p. 23, Posner p. 17.
[4]) Cf. Woelfflin Ant. inde a p. 47.

„socios Latinumque nomen“ et 22 · 27 · 11 „socium et Latini nominis auxilia“ commemoravit. Quae cum ita sint, neque Vielhabero [1]) assentior, qui apud Livium auxilia a sociis semper accurate distingui eorumque in libris XXI et XXII raro mentionem fieri dicit, neque Boettcheri opinionem probo, qui (p. 425) verba Livii 22 · 19 · 4 „propter ingentem famam novorum auxiliorum“ ex Pol. 3 · 95 · 5 „*ἀκούων τὸ πλῆθος τῶν δυνάμεων*“ hauriri potuisse negat.

Denique cum Polybius interdum ita res narrare et homines describere satis habuerit, ut nomina neglegeret, Livius ex altero fonte illa addidit, velut

Pol. 3 · 40 · 14 *ἡγεμόνα συστήσαντες ἐξαπέλεκυν.*	Liv. 21 . 26 · 2 C. Atilium praetorem.
Pol. 3 · 42 · 1 *προσμίξας τοῖς περὶ τὸν ποταμὸν τόποις.*	Liv. 21 · 26 · 6 in Volcarum pervenerat agrum.
Pol. 3 · 49 · 8 *ἐπισπωμένου τοῦ πρεσβυτέρου.*	Liv. 21 · 31 · 6 maior, Brancus nomine.
Pol. 3 · 69 · 1 *ἀνδρὸς Βρεντεσίνου.*	Liv. 21 · 48 · 9 Dasio Brundisino.
Pol. 3 · 78 · 8 *διά τινων ἑλῶν.*	Liv. 22 · 2 · 2 per paludes, qua fluvius Arnus . . . inundaverat.
Pol. 3 · 84 · 6 *τινὲς τῶν Κελτῶν.*	Liv. 22 · 6 · 3 Insuber eques — Ducario nomen erat.

Hoc fere modo Livius verba Polybii partim consulto partim fortuito idque haud leviter mutavit. Maxime autem Polybium consuluit de eis rebus, quae ad pugnas exercituumque itinera pertinent. Itaque, ut minora quaedam omittam, hae fere librorum XXI et XXII partes summatim cum tertio Polybii libro concinunt [2]).

XXI · 5 primae Hannibalis expeditiones enarrantur prorsus simili modo atque apud Pol. III · 13—14. Quae una est paulo gravior discrepantia de nomine urbis Olcadum, quam Livius (§. 4)

[1]) Stud. Liv. I. p. 39. n. 47.

[2]) De ea re accurate disseruit C. Peter.

Cartalam, Polybius (13 · 5) *Ἀλθαίαν* (codd. *Ἀλθίαν*) appellat, eam neglegentiae sive ipsius Livii sive librariorum deberi existimo. Cum Hiberum transire Hannibali per foedus Hasdrubalis non licuisset, Livius (§. 3) recte intellexit, illam gentem trans Hiberum fuisse. Praeterea a Livio addita sunt ea, quae ad praedam pertinent (§. 4 diripit, opulentus praeda, §. 5 large partiendo praedam, §. 8 agmen grave praeda), nec minus §. 12 clamore sublato, §. 9 castris super ripam positis, §. 16 agmine quadrato. Ex §. 9 „vallo ita producto“ apparet Livium verba „*πρόβλημα ποιησαμένου τὸν Τάγον ποταμόν*“ (14 · 5) non recte intellexisse [1]). Denique Livius §. 5 „*ταῖς δυνάμεσι*“, quod legitur 13 · 8, libere vertit „cunctis civium sociorumque animis“.

XXI · 21—23 Livius eadem fere de copiis ab Hannibale in Africam missis et in Hispania relictis et de itinere Poenorum ad Pyrenaeos montes facto tradit, quae apud Polybium 3 · 33—35 leguntur; inseruit tamen ex altero auctore Hannibalem Gadis profectum esse [2]), in somnio ab eo visum esse ducem ab Jove missum [3]), Carpetanos iter avertisse.

XXI · 25 narratio de Boiorum Insubriumque tumultu maiore ex parte ex Pol. 3 · 40—41 hausta est, quanquam multis aliunde intermixtis, praesertim nominibus triumvirorum et numeris militum occisorum. Verbis „nec tam ob veteres in populum Romanum iras“ (§. 2) Livius aperte pugnat contra Pol. 3 · 40 · 6 „*πάλαι οἷον λοχῶντες τὴν πρὸς Ῥωμαίους φιλίαν*“.

XXI · 26 (§. 3)— 30. Quae Livius tradit de Romanis Poenisque ad Rhodanum versantibus, pleraque ex Pol. cap. 41—45 petivit. Apud Polybium non inveniuntur nomen Volcarum (26 · 6), prior fama de elephantis traiectis (28 · 5), praeterea quae Livius narrat de Hispanis amnem tranantibus (27 · 5) et de caerimoniis Gallorum pugnam committentium (28 · 1). Aut Livii aut librariorum incuria ortum videtur „sexaginta“ (29 · 3) pro *τετταράκοντα* (Pol. 45 · 2). Oratio, quam Hannibal cap. 30 pronuntiat, paulo ampliata eadem continet, quae Pol. 44 · 10—12 commemorat; c. 30 §§. 7—8 similitudinem habent cum Pol. 3 · 48 · 6—7.

XXI · 31—37, in describendo Alpium transitu [4]) Livius maxi-

[1]) Cf. Woelfflin prooem. p. XXI, Vielhaber I p. 48.

[2]) Cf. Liv. 21 · 21 · 9 et 22 · 5, Boettcher p. 376 et 377.

[3]) Cf. Liv. 21 · 22 · 5—9, Woelfflin Ant. p. 23, Posner p. 17.

[4]) Cf. Woelfflin Ant. inde a p. 47.

mam partem Polybium (44·13, 47·1, 49—56·1) secutus est. Aliunde tamen petivit nomen Branci (31·6), iter ab Insula ad Druentiam factum (31·9—12), descriptionem Alpium (32·6—7), rupem aceto ignique mollitam (37·2), quae particulae a reliqua narratione prorsus abhorrent. Errat Livius, cum Brancum Allobrogem appellet (cf. Pol. 3·49·8 et 13). Romanum scriptorem etiam 32·5 sequitur, ubi Scipionem Genuam repetivisse dicit (cf. Woelfflin ad h. l.).

Proelium ad Ticinum commissum[1] a Livio (XXI·39—48) ex Polybio (56·5—6, 60—69) petitum est. Non inveniuntur tamen apud Polybium, quae ille tradit de itinere Scipionis ad Victumulas facto, de altera contione Hannibalis, de prodigiis (cap. 45—46·2), de praemio Dasii proditoris (48·9). Praeterea contiones Hannibalis et Scipionis ex obliqua oratione in directam versae et ampliatae sunt; Scipio, qui inferior ex pugna discessit, apud Livium prior verba facit; 46·10 et 47·4 Coelii mentio fit.

De pugna ad Trebiam Livius XXI·52—55 eadem fere narrat quae Polybius 3·67—74, sed inde a 55·4 alteram memoriam cum Polybiana coniungit. Apud Polybium pugna committitur in laeva ripa Trebiae fluminis, apud Livium in dextera; de ea re conf. Mommsen hist. Rom. I[6] p. 589, Woelfflin ad Liv. 21·52·3 et 56·3. Falsus est Ihne hist. Rom. II. p. 162. Quae Livius 56·8—9 tradit, sine dubio a Romano quodam auctore ficta sunt.

Res anno 218 in Hispania gestas Livius XXI·60—61·4 ex Pol. 3·76 transtulit, nisi quod 60·7 numeros militum caesorum et captorum addidit; quae deinde narrat, minime sunt Polybiana. Eandem fere rationem secutus est in explicandis rebus anno 217 ibidem gestis; nam quanquam ea quae XXII·19—22 memoriae prodidit, magna ex parte Polybio (3·95—98) debet, 20·4—22·1 aliunde petivit.

De itinere ab Hannibale in Etruriam facto et de pugna ad Trasumennum lacum commissa Livius XXII·1—7 pauca refert, quae ei non communia sint cum Polybio (3·78—85). Ab hoc tamen aliena sunt, quae ille narrat de prodigiis (cap. 1·4—20, cap. 3·11—14), de motu terrae (5·8), de temporis spatio quo pugnatum sit (6·1), de morte consulis (6·2—4), de fine pugnae et de Fabio historico (7·2—5)[2].

[1]) Cf. Woelfflin Ant. inde a p. 55.

[2]) C. Peter (p. 33) suspicatus est apud Livium 22·7·2 post „quindecim milia caesa" inserendum esse „totidem capta", ut Livius consentiret cum Pol. 3·85·1 et cum Plut. Fab. Max. 3.3; sed oblitus est apud Livium decem milia Romanorum ex pugna effugere, quorum apud Polybium nec vola nec vestigium apparet. Immo Livio auctore (cap. 6·8—12) capta sunt sex milia, quem eundem numerum tradunt Front. strat. 4·7·25 et Val. Max. 1·6.6. Conf. etiam Ferdin. Voigt quaest. crit. de primis Hannibalici belli annis pag. 8.

Apud Pol. 3·84·14 „ἀποσταλέντος ὑπὸ τοῦ στρατηγοῦ μετὰ τῶν Ἰβήρων καὶ λογχοφόρων Μαάρβα" pro Ἰβήρων scribendum videtur ἱππέων. Nam primum Liv. 22·6·11 habet: „cum omnibus equestribus copiis"; deinde cum illa sex milia Romanorum aciem Hispanorum et Afrorum perruperint, quo iure Hannibal eos ab Hispanis et iaculatoribus captum iri sperat? Tertio loco Hannibal expeditis militibus una cum equitibus uti solet, non cum Hispanis (cf. Pol. 3·73·7 et 86·4, Liv. 21·16·2 et 57·6); denique Maharbalem equitibus praefuisse intellegitur ex Pol. 3·86·4 „ἐξαποστέλλει Μαάρβαν ἔχοντα τοὺς λογχοφόρους καὶ τὸ μέρος τῶν ἱππέων" (id est: mittit Maharbalem cum iaculatoribus et ea parte equitum, cui ille praeerat vel quam 3·84·14 habuerat), ex Liv. 21·45·2, 22·13·9, 46·7, 51·2, App. Hann. 20.

De Fabii dictatura, quae ad ipsum bellum pertinent, maiore ex parte ex Polybio petita sunt, ac manifesto quidem cum illo consentiunt quae Liv. 22, cap. 17—18 de Hannibalis strategemate [1]), cap. 23·9—24·10 de proelio apud Gereonium commisso [2]), cap. 28—29 de Minucio a Fabio servato [3]) memoriae prodidit: reliqua omnia aliunde hausta sunt.

In pugna Cannensi describenda Livius (XXII·45—47) primo Polybium (3·112 sqq.) secutus est, deinde ei alterum auctorem praetulit (inde a cap. 48). Post hanc pugnam Polybius et Livius in varias partes discedunt.

[1]) Cf. Pol. cap. 93—94, C. Peter p. 38.

[2]) Cf. Pol. cap. 100—102.

[3]) Cf. Pol. cap. 104—105.

Caput IV.

Quicunque Livii libris XXI et XXII retexendis operam dederunt, multa a Livio ex L. Coelii Antipatri historiis de bello Punico secundo hausta esse una ore consentiunt. Quin etiam solo Coelio auctore Livium in his libris scribendis usum esse Boettcher contendit. Sed quibus persuasum est etiam Polybium ab illo in usum esse vocatum, ei Coelium secundo loco ponunt, cum praesertim paucae relliquiae operis Coeliani extent, quae cum Livio conferri possint. De ratione, quae inter Coelium et Livium intercedat, egregie disseruit Hermannus Peter in libro de veterum historicorum Romanorum relliquiis (pag. CCXIII—CCXXXVII); cui cum prorsus assentiar neque novi quicquam habeam, ea quae ab illo exposita sunt paucis complectar.

Coelius igitur cum libertini filius esset et Gracchorum familiaritate uteretur, quanquam in numero amicorum Scipionis minoris non videtur fuisse, tamen principibus viris urbis Romae non fuit alienus, quippe qui opus suum, cuius septem libri laudantur, ad C. Laelium, Africani minoris familiarem, miserit[1]). Primus Romanorum scriptorum Coelius res Romanas non inde a Romuli temporibus narravit, sed paucorum annorum spatio se continuit historiasque, non annales composuit[2]). Circumcisam igitur et brevem materiam accuratius persecutus est et uberius perscripsit, quod fieri non potuisset, nisi diligentius quam vulgus scriptorum eis studuisset litteris, quibus res Hannibalico bello gestae memorabantur. Ac vero primus Romanorum Coelius, cum eas res narraret, quae aliquot decenniis ante ipsum gestae essent, eos auctores non neglexit, qui ab hostium parte stabant, ita tamen ut ea, quae Romanorum animos offensura essent, non attingeret. Itaque ducibus usus est Sileno, Fabio, Catone, Ennio poëta, quem non solum rerum gestarum auctorem, sed etiam in verbis diligentius quaerendis

[1]) De ea re cf. H. Peter p. CCXVII. n. 1.

[2]) Annalium tamen nomine ad libros Coelii significandos utitur unus Nonius isque constanter.

exemplar habebat [1]). Praeterea cum Livius in sola tertia decade constanter prodigia commemoret, eorum auctorem, nisi me fallit opinio, Coelium habuit, qui illa ab annalibus maximis repetiverat. Livius 27·27·13 Coelium etiam laudationem Marcelli scriptam ab eius filio, testem attulisse dicit; fortasse igitur etiam aliae tabulae gentiliciae ei in promptu fuerunt.

De tempore si quaeras, quo Coelius historias suas edidisse censendus sit, verisimile est eum post Polybium scripsisse, cum de C. Graccho ut de mortuo locutus sit; neque tamen opere Polybiano videtur usus esse. Sine dubio narratio Coeliana a Polybiana valde differebat; nam cum Polybius eruditis hominibus, qui facilius quam vulgus vera narrantem sustinebant, probari cuperet, Coelius ipse non liber erat superstitione animi et studio rei Romanae, multo minus quam ille peritus erat rei militaris et situs terrarum, contra ea cum in primis valeret dicendo, res oratorum more exornabat primusque Romanorum narrationi rerum orationes commenticias interposuit [2]). Quanquam Coelius plebeius erat, nullam tamen video causam, cur eum aliter ac patricios homines ante eum de rebus veteribus rettulisse iudicem, neque quicquam obstat, quominus iniquam illam descriptionem consulum popularium, Flaminii et Varronis, cuius auctor est Livius (XXI·63, XXII·25, 18 sqq.), ex Coelio petitam esse dicamus. Coelianae historiae a M. Bruto in epitomen redactae et a multis in usum vocatae sunt, velut a Cicerone, Velleio, Valerio Maximo, Plinio, Frontino, Floro, Gellio. Itaque vix quisquam dubitaverit, quin Livius quoque multa ex Coelio petita libris suis indiderit. Atque quater Coelium in Livii libris XXI et XXII nominari et reprehendi iam supra monuimus. Praeterea inter nonnullos locos Livianos et relliquias Coelianas magna similitudo intercedit [3]). 21·22·5—9 quidem (de Hannibalis somnio) Livius manifesto consentit cum Coelio apud Ciceronem de div. 1·24·49; etiam 22, cap. 3·11—14, c. 5·8, c. 6·1 de prodigiis ante pugnam ad lacum Trasumennum commissam, de motu terrae, de tribus horis pugnae eadem fere narrat, quae

[1]) Eius rei testis est Fronto ad M. Caes. IV·3 (pag. 63 ed. Nab.), quem locum Naber in indice (p. 269) non recte ad L. Coelium poëtam refert.

[2]) Falso Weidner (Quellenbuch zur alten Geschichte II.[2] p. 6) Valerium Antiatem primum orationes arte compositas inter narrationem rerum inseruisse dicit.

[3]) De ea re conf. C. Peter p. 79, Woelfflin Ant. p. 23 sqq.

Coelium memoriae prodidisse Cicero de divin. I. 35, de nat. deorum 2·3·8 auctor est.

Omnino verisimile est Livium maximam partem earum rerum, quae a Polybio aut praeteritae aut brevius narratae sunt, ex Coelio hausisse, velut prodigia [1]), Hannibalis adulescentiam et mores, bellum Saguntinum, legationes in Hispaniam et Carthaginem missas, partem expeditionum prima belli hieme àb Hannibale susceptarum, res urbanas, alteram famam de captivis Cannensibus. Deinde eae partes narrationis Livianae ad Coelium referendae videntur esse, quae verbis superlatis vel inanibus excellunt, veluti descriptio Druentiae (XXI·31·9—12) et Alpium (XXI·32·6—7) et ingens lignorum strues in iugo Alpium facta (XXI·37·2). Ac ne in pugnis quidem narrandis Livius Coelium neglexit, sed plerumque initium pugnae ex Polybio hausit, in fine memorabilia quaedam ex Coelio addidit; quo factum est, ut Livianae pugnarum descriptiones perspicuitate fere careant. Denique, qua de re Woelfflin (Ant. p. 29 sqq.) pluribus exposuit, vix dubitari potest, quin Coelius interdum res ab antiquioribus auctoribus traditas ita mutaverit, ut Romani suo iure suaque ratione egisse, hostes ius gentium foederaque neglexisse aut illiberaliter fecisse viderentur. Itaque quae hoc modo depravata apud Livium narrantur, Coelio videntur deberi, quoniam Livius ipse ab eo, quod verum esse crederet, consulto discessisse non putandus est. Eiusmodi loci sunt:

XXI·10 oratio Hannonis, qui et priore bello a Carthaginiensibus et Saguntino bello ab Hannibale foedera rupta esse dicit;

XXI·25·5 ubi pro triumviris ab aliis legati suppositi erant;

XXI·45 ubi Scipio Padum Ticinumque eo consilio videtur traiecisse, ut Victumulas ex obsidione eriperet;

XXI·45·2 Maharbal missus ad populandos sociorum Romanorum agros;

XXI·37·13—14 Victumulae direptae et incolae caesi.

Ex Polybio igitur et Coelio Livius in componendis libris XXI et XXII pleraque hausit; sed iam supra complures locos commemoravimus, quibus Livius plurium auctorum mentionem iniecit, unde verisimile fit tertium auctorem ab eo adhibitum esse. Favent huic opinioni 21·47·6 et 7, ubi Livius contra Coelium pugnans haec

[1]) Cf. Woelfflin Ant. p. 75.

scripsit: „*potiores apud me auctores sunt, qui biduo vix locum rate iungendo flumini inventum tradunt: ea cum Magone equites et Hispanorum expeditos praemissos. dum Hannibal... traicit gravius peditum agmen, interim Mago equitesque ab transitu fluminis diei unius itinere Placentiam ad hostes contendunt. Hannibal paucis post diebus sex milia a Placentia castra communivit*". Apud Polybium enim (3·66·11) non legimus Magonem cum equitibus et expeditis praemissum esse sed Hannibalem ipsum δευτεραῖον ἀπὸ τῆς διαβάσεως ad hostes venisse. Similes sunt 22·31·8—11. Dicit enim Livius, et Coelium, quem 22·8·5 sqq. ipse secutus est, et ceteros, in quo numero est Polybius (3·87·6), fugisse, Fabium non dictatorem sed pro dictatore fuisse. Itaque his quidem locis Livius praeter Coelium et Polybium tertium auctorem consuluit; idem vero saepius factum esse libri XXII capitibus 40—43 diligentius examinatis intellegetur. Illo enim loco narrat Livius, Hannibalem apud Gereonium inopia coactum falsa fugae specie Romanos, ut proelium inciperent, pellicere temptasse, deinde insidiis cognitis falsa imagine castrorum relicta in Apuliam profectum esse. Sed facile est cognitu, eandem rem a Livio ex duobus auctoribus petitam bis narratam esse. Itaque cum Polybius eius rei mentionem omnino non faciat, uterque autem illorum auctorum Romanis faveat, Coelium alterumque scriptorem Romanum Livio eius rei testes fuisse apparet. Sed ut ipse iudices, ipsa Livii verba ex editione Woelffliniana adscribam:

Liv. 22·32·3.

adeo inopia est coactus Hannibal, ut ni sibi cum fugae specie abeundum timuisset, Galliam repetiturus fuerit nulla relicta spe alendi exercitus in eis locis, si insequentes consules eisdem artibus bellum gererent.

Liv. 22·40·8—9.

ne unde raperet quidem (sc. Hannibal) quicquam reliqui erat ... ut vix decem dierum, quod conpertum postea est, frumentum superesset, Hispanorumque ob

Liv. 22·43·2 sqq.

ibi plures dies propter inopiam frumenti manere nequit novaque consilia in dies non apud milites solum mixtos ex conluvione omnium gentium, sed etiam apud ducem ipsum oriebantur. nam cum initio fremitus, deinde aperta vociferatio fuisset exposcentium stipendium debitum querentiumque annonam primo, postremo famem, et mercennarios milites, maxime Hispani generis, de transitione cepisse consilium

inopiam transitio parata fuerit, si maturitas temporis expectata foret.

Liv. 22.41, 6 sqq.

itaque locum et tempus insidiis aptum se habere ratus, nocte proxima nihil praeter arma ferente secum milite castra plena omnis fortunae publicae privataeque relinquit, transque proximos montis laeva pedites instructos condit, dextra equites, inpedimenta per convallem mediam traducit.

(42 · 4) Paulus.. Marium Statilium praefectum cum turma Lucana exploratum mittit. qui ubi adequitavit portis, subsistere extra munimenta ceteris iussis ipse cum duobus equitibus vallum intravit, speculatusque omnia cum cura renuntiat insidias profecto esse: ignes in parte castrorum, quae vergat ad hostem, relictos, tabernacula aperta, et omnia cara in promptu relicta.

fama esset, ipse etiam interdum Hannibal de fuga in Galliam dicitur agitasse, ita ut relicto peditatu omni cum equitibus se proriperet. cum haec consilia atque hic habitus animorum esset in castris, movere inde statuit in calidiora atque eo maturiora messibus Apuliae loca, simul ut, quo longius ab hoste recessisset, transfugia inpeditiora levibus ingeniis essent. profectus est nocte ignibus similiter factis tabernaculisque paucis in speciem relictis, ut insidiarum par priori metus contineret Romanos. sed per eundem Lucanum Statilium omnibus ultra castra transque montis exploratis cum relatum esset, visum procul hostium agmen, tum de insequendo eo consilia agitari coepta.

Similes narrationes etiam apud Appianum (VII · 17—18) et apud Zonaram (P. I 417 C) occurrunt, qui tamen fugam fraude institutam esse non commemorant, sed Hannibalem semel simulata fuga Romanos pellicere ad castra diripienda frustra temptasse. Et profecto stultum est illud, quod Livius tradit, Hannibalem, cum Romanos dolo ad proelium producere non potuisset, longius, ut transfugia inpeditiora essent, ab hoste recedere voluisse ob eamque rem, quanquam nocte proficisceretur, pauca tabernacula reliquisse. Videtur igitur alter auctor verae fraudi falsam causam subdidisse, fortasse memor fugae post proelium apud Grumentum factum, quam eadem fere fraude ab Hannibale institutam esse auctor est Livius 27 · 42 · 9—12. Simili fraude, ut Arretium perveniret, Hannibalem anno 217 usum esse tradit Zonaras (P. I 412 B.). Quod proelium

Livius in priorem narrationem inseruit [1]), id apud Appianum et Zonaram paulo aliter describitur; plane diversae famae auctor est Polybius (3 · 110 · 5—7).

Quem igitur scriptorem Romanum praeter Coelium a Livio in usum vocatum esse dicam? Videamus primum, quid ille de auctoribus suis professus sit.

Livius in decade tertia praeter Coelium et Polybium (Liv. 30 · 45 · 5) hos auctores laudat:

1) 21 · 38 · 3 L. Cincium Alimentum,
2) 22 · 7 · 4 Fabium Pictorem,
3) 25 · 39 · 12 Claudium, qui annales Acilianos ex Graeco in Latinum sermonem verterat,
4) 25 · 39 · 15 Pisonem,
5) 26 · 49 · 3 Silenum,
6) 29 · 22 · 10 Clodium Licinum,
7) Valerium Antiatem septies.

Horum omnium scriptorum opera tota Livium lectitasse vix quisquam contenderit. Immo in eam partem potius inclino, ut putem eos qui semel laudantur, (Clodium) maximeque qui numeri alicuius testes afferuntur, (Cincium, Fabium, Claudium, Pisonem, Silenum) a Livio aut ex graviore alio auctore, qui eos citaverit, descriptos aut in re dubia consultos esse. Accedit quod Cincius propter gravem errorem vituperatur, Fabius et Silenus utpote iam a Polybio et Coelio in usum vocati prae illis minoris momenti erant. Itaque ex septem illis auctoribus unus Valerius, qui a Livio 25 · 39 · 14, 26 · 49 · 3, 30 · 19 · 11 et 29 · 7 singulorum numerorum testis, 28 · 46 · 14, 29 · 35 · 2, 30 · 3 · 6 ob alias causas laudatur, in tertia decade saepius videtur consultus esse. Neque id quidem ullius momenti est, quod in libris 21—24 Valerius nunquam nominatur; nam ne Polybii quidem in his libris mentio fit neque in libris 23 et 24 praeter unum Coelium, cuius testimonio Livius 23 · 6 · 8 utitur, quisquam laudatur.

[1]) Liv. 22 · 41 · 1—2: in prohibendis praedatoribus . . . haudquaquam par Poenis dimicatio fuit. ad mille et septingenti caesi, non plus centum Romanorum sociorumque occisis. — Fictum videtur id proelium ad exemplar proelii apud Grumentum commissi, cum in utroque proelio numerus hostium caesorum captorumve septies decies maior sit quam „*Romanorum sociorumque*“ occisorum. Conf. Liv. XXVII. 42.

Valerium igitur Antiatem, Sullae aequalem, qui minimum LXXV annalium libros reliquerat, a Livio in libris XXI et XXII in usum vocatum esse primus suspicatus est Vollmer, qui omnia fere, quae in illis libris propter accuratam notitiam rerum Romanarum ex Romano auctore videantur profecta esse, velut res urbanas, prodigia, dictaturam Fabii, Valerio deberi iudicat. Deinde Herm. Hesselbarth [1]) et Woelfflin [2]) in libris 21—24 pauca ex Valerio hausta esse monuerunt.

Cum Polybii librum totum Coeliique aliquot relliquias cum Livii libris XXI et XXII conferre nobis licuerit, Valerii, quanquam a Livio in eis libris, qui ad nostram aetatem pervenerunt, is tricies quinquies nominatur, nullum extat fragmentum, quod ad primos belli Hannibalici annos pertineat. Itaque videamus necesse est, quae narrationis Valerianae fuerint propria quaeque ei similia sint in duobus illis Livii libris.

Valerius igitur certos ac definitos numeros exhibere solebat, qui iam antiquis difficiles ad fidem visi sunt; velut in fragm. 3 (apud Peterum) 527 Sabinas raptas esse dicit;

in fr. 7—9: in sepulcro Numae regis simul cum ipso Numa conditos esse libros duodecim pontificales Latinos, totidem Graecos praecepta philosophiae Pythagoricae continentes [3]);

in fr. 43: Cretes reddidisse captivorum milia quattuor;

in fr. 45 (p. 266 Pet., Liv. 38·55·6): quo commodior pax Antiocho daretur, L. Scipionem sex milia pondo auri, quadringenta octoginta argenti plus accepisse, quam in aerarium rettulerit, A. Hostilium octoginta pondo auri, argenti quadringenta tria, C. Furium auri pondo centum triginta, argenti ducenta.

in fr. 47: a. 184 a. Chr. veneficii damnata esse duo milia hominum.

Praecipue in pugnis describendis Valerius certis numeris eisque impudenter auctis adfirmabat, quot homines pugnavissent vel caesi captive essent, quot equi, quot scorpiones, quot signa militaria, quot carpenta capta essent. Velut

in fr. 19 legimus, 5200 Romanos cecidisse, ex Aequis primum 2400, deinde 4230;

[1]) De pugna Cannensi' diss. Goett. 1874.
[2]) Livii lib. XXI pag. XV, Hermae vol. IX p. 123.
[3]) Cf. Peter vet. hist. Rom. rell. p. CC.

in fr. 23: 7000 caesa Poenorum, deinde 10·000, 4330 captos;

in fr. 24: scorpionum capta 19·000 [1]).

in fr. 29: 5000 Poenorum caesa;

in fr. 30: 12·000 Poenorum occisa ese, 1700 captos, deinde Hannibalem legatum cum aliis decem legatis ad Scipionem venisse;

in fr. 31: regem Philippum castris exutum esse, 12·000 Macedonum caesa, capta 2200 et signa militaria 132, equos 230;

in fr. 32: ad Cynoscephalas caesa esse 40·000 Macedonum, capta 5700, signa militaria 249;

in fr. 34: anno 196 in pugna apud Comum commissa caesa esse supra 40·000 hominum, 807 signa militaria capta et carpenta 732 et aureos torques multos, castra eo die Gallorum expugnata direptaque et Comum post dies paucos captum;

in fr. 35: 20.000 Celtiberorum apud oppidum Iliturgi pugnavisse (a. 195), 12·000 ex eis caesa, oppidum captum et puberes omnes interfectos;

in fr. 36: supra 40·000 Hispanorum ad Emporias caesa esse (a. 195);

in fr. 39: 60·000 militum a. 191 ad Thermopylas contra Romanos pugnavisse, ex eis 40.000 cecidisse, supra 5000 capta cum signis militaribus 230;

in fr. 41: a. P. Cornelio consule a. 191 Boiorum occisa esse 28·000, capta 3400, signa militaria 124, equos 1230, carpenta 247, ex Romanis 1484 cecidisse;

in fr. 42: rumorem Romae fuisse, L. Scipionem et cum eo P. Africanum in colloquium evocatos Antiochi et ipsos comprehensos esse et ducibus captis ad castra exercitum ductum eaque expugnata et deletas omnes copias Romanorum;

in fr. 44: in Olympo monte a. 189 occisa esse 10·000 Gallorum.

in fr. 63: a. 105 in pugna apud Arausionem facta duos filios Manlii consulis caesos esse, 80·000 Romanorum sociorumque trucidata, 40·000 calonum et lixarum interfecta, decem homines superfuisse.

Livius Valerium Antiatem testem affert primum 3·5·13

[1]) Cf. Liv. 26·49·3: scorpiones maiores minoresque ad 60 captos scripserim, si auctorem Graecum sequar Silenum, si Valerium Antiatem, maiorum scorpionum 6000, minorum 13,000; adeo nullus mentiendi modus est.

(fr. 19), ubi numeris militum caesorum a Valerio solo traditis diffidit, tum 4·23·2 (fr. 20) inter alios auctores. Deinde in libris qui extant nulla Antiatis fit mentio ante 25·39·14 (fr. 23), ubi Livius Claudium, Valerium, Pisonem de numero hostium L. Marcii ductu caesorum variare dicit mediumque numerum tradi a Valerio. Proximo loco, 26·49·3 (fr. 24), aut quem Valerius aut quem Silenus tradiderit numerum scorpionum Carthagine nova captorum fictum esse intellegit. Etiam 30·19·11 (fr. 29) dubitat, utrum Valerius mentitus sit an ceteri scriptores gravem rem neglegenter praetermiserint. Deinde magis magisque Antiatem vituperat[1]).

Itaque conicere licet Livium in primis tertiae decadis libris non secus atque in prima decade Valerium ita secutum esse, ut eum minus quam postea cum aliis auctoribus conferret. Sed cur eundem in quarta decade iterum iterumque nominat et vituperat, cum eum silentio praeterire potuerit? Videtur id ideo factum esse, quod Valerii auctoritas Augusti tempore tanta fuerit, ut Livius sibi vera narranti fidem non fore putaret, nisi Antiatis mendacia plana fierent. Favet huic opinioni, quod ex Valerio Antiate petitum esse videtur elogium M'. Valerii Maximi incisum in statua, quae in foro Augusti posita erat[2]).

Quae cum ita sint, eos locos Livii librorum 21—24, ubi numeri militum caesorum captorumve non verisimiles inveniantur vel inter praedam ex aliqua pugna reportatam signa militaria commemorentur quaeque similia sunt, ex Valerio Antiate petitos esse recte mihi videor suspicari, velut

21·25·12: septingentos milites occiderunt, sex signa ademere.

21·60·6: 6000 hostium caesa, 2000 capta cum praesidio castrorum: nam et castra expugnata sunt.

21·61·9: caesa ad 12·000; exuti prope omnes armis domos passim palantes per agros diffugere.

22·21·8: tria oppida vi expugnant; inde cum ipso Hasdrubale duobus proeliis egregie pugnant; ad 15·000 hostium occiderunt, 4000 cum multis militaribus signis capiunt.

22·24·14: duo castella eo die expugnasse (scil. Minucium); 6000 hostium caesa, 5000 Romanorum.

---

1) Cf. Teuffeli hist. litt. Rom. ed. tert. §. 155. 3.

2) Eam rem probavit Otto Hirschfeld in Philol. vol. 34 inde a p. 85.

22·41·2: ad 1700 caesi non plus 100 Romanorum sociorumque occisis (conf. supra pag. 41 not. 1).

23·35·19 hominum eo tumulto nocturno caesa plus duo milia cum ipso duce Mario Alfio, capta * et signa militaria quattuor et triginta. Gracchus minus centum militum iactura castris hostium potitus Cumas se propere recepit.

23·37·11: supra 2000 hominum occidit et 280 milites amisit; signa militaria ad 41 cepit . . . et ex Hirpinis oppida tria vi recepta . . . supra 5000 captivorum sub hasta venierunt.

23·40·12: 12.000 hostium caesa Sardorum simul Poenorumque, ferme 3700 capti et signa militaria 27.

23·46·4: hostium plus 5000 caesa eo die, vivi capti 600 et signa militaria 19 et duo elephanti, quattuor in acie occisis, Romanorum minus 1000 interfectis . . . tertio post die 272 equites ad Marcellum transfugerunt.

23·49·9: 60.000 hostium eo die in pugna fuerunt, 16.000 circa a Romanis. tamen adeo haud dubia victoria fuit, ut plures numero quam ipsi erant Romani hostium occiderint, ceperint amplius 3000 hominum, paulo minus 1000 equorum, 59 militaria signa[1]), septem elephantos, quinque in proelio occisis; trinisque eo die castris potiti sunt.

23·49·13: supra 13.000 hostium caesa, supra 2000 capta cum signis 42 et novem elephantis.

24·16·4: minus 2000 hominum ex tanto exercitu et ea maior pars equitum cum ipso duce effugerunt, alii omnes caesi aut capti; capta et signa 38. Ex victoribus 2000 ferme cecidere.

24·41·10: supra 12.000 hominum caesa duobus proeliis, plus 1000 capti cum 36 militaribus signis.

24·42·4: 39 elephanti pilis confixi. Hoc quoque proelio ad 12·000 hominum dicuntur caesa, prope 3000 capta cum signis militaribus 57.

24·42·5: ibi iterum Scipio conflixit; nec dubia victoria fuit: minus tamen dimidio hostium quam antea, quia pauciores superfuerant, qui pugnarent, occisum.

---

1) Falso Nitzsch (Annalistik p. 17) dicit: „diese genauen Aufzählungen genommener oder verlorener signa ... fehlen bei den Schlachten vom Anfang des Krieges bis Cannae, sowie bei allen Schlachten in Spanien".

24 · 42 · 7: plus 8000 hominum caesa, haud multo minus quam 1000 captum et signa militaria 58, et spolia plurima Gallica fuere, aurei torques armillaeque, magnus numerus. duo etiam insignes reguli Gallorum eo proelio ceciderunt. octo elephanti capti, tres occisi.

Valerius igitur a Livio in libris 21, 22, 24 interdum nobis videtur in usum vocatus esse, saepius in libro 23. Fortasse paulo diversam rationem inter Livium et Valerium intercedere iudicaremus, si vestigia Valeriana per omnes Livii libros persequi nobis licuisset.

Restat, ut pauca exponamus de eis partibus librorum XXI et XXII, quae cum Polybio aut omnino non consentiunt aut minore ex parte, easque inter Polybium, Coelium, Valerium, dividere conemur.

In prooemio belli Hannibalici (XXI. 1—4) Livius pleraque, quatenus ex aliquo scriptore petita, non ex Livii ingenio profecta sunt, ex Romano auctore hausit, ita tamen ut Polybium non neglegeret.

Cap. 1. §. 1—2. Similia Thucydides praefatur et similem praefationem Coelium historiis suis praemisisse Posner (p. 57) recte iudicat.

Cap. 1. §. 3—5. Odium Carthaginiensium et Romanorum Barcidarumque odium nominis Romani Livius causas belli Hannibalici aeque perhibet atque Polybius (3 · 9 · 6 sqq.), qui contra Fabium pugnans primus causas et initia huius belli discreverat, neque aliter quam ille (III. 11) Hannibalem patri perpetuum odium in populum Romanum iurasse tradit.

Cap. 2. §. 1—4. Livius aliam sequitur temporum rationem atque illam cuius Polybius auctor est. §. 5 Polybio (2 · 36 · 2) videtur deberi idemque fere significat quod §. 7 verba ex Coelio hausta „quia mirae artis in sollicitandis gentibus imperioque suo iungendis fuerat.“ §. 6—7 a Polybio discrepant: nam cum Polybius (2 · 36 · 1) Hasdrubalem noctu domi suae a Gallo quodam propter privatam iniuriam obtruncatum esse dicat, Livius, cum quo consentiunt Valerius Maximus (3 · 3 ext. 3), Justinus (44 · 5 · 5), Appianus (Hisp. 8, Hann. 2), Diodorus (25 · 17 et apud Suidam s. v.

χρῶμα), eum palam interfectum esse narrat a servo, qui pro domino ab Hasdrubale obtruncato iustas poenas repetiverit.

Hannibalem imperatorem esse appellatum Livius (c. 3. §. 1) eisdem fere verbis tradit quibus Polybius (3 · 13 · 3—4); de adulescentia moribusque eius (cap. 3—4) prorsus diversam sequitur famam [1]. Ac virtutum quidem, quibus Hannibal dicitur praeditus fuisse, descriptio originem videtur ducere ex Sileno, quem Coelius secutus erat, vitiorum contra a Romano auctore profecta esse. Nulla autem vitia Livius Hannibali attribuit quam quae omnium Afrorum communia esse dicuntur, et quanquam 30 · 12 · 18 Numidarum genus praeceps in Venerem esse dicit eoque nomine etiam Massinissam, Romanorum amicum, vituperat, tamen Hannibalis morum integritatem in controversiam vocare, id quod alii fecerunt [2]), non est ausus.

Sagunti oppugnationem [3]), quam Polybius (III. 17) brevissime absolvisset, Livius (XXI. 6—16) ex Romano auctore, ex Coelio, petiverit necesse est. Nonnulla tamen vestigia Polybii inveniuntur in c. 15, ac temporum quidem rationem in c. 15 §. 3 candem reperimus quam apud Polybium (III · 17. 9, 33 · 5, 56. 3).

XXI · 17—20 Livius narrat Romanos intendisse omnem curam in belli apparatum ac denuntiationem [4]) et frustra Hispaniae Galliaeque civitates in societatem pellicere conatos esse. Cum Polybio (c. 29—30) consentit Livius c. 19. §. 1—5, ubi Romanos ex iure foederum egisse docet. Reliqua fere omnia Polybius omisit; Romano igitur auctore Livius usus est, et Coelio quidem favent forma

---

[1]) De ea re exposuit Woelfflin (Ant. p. 40—46), qui vocabulum obsoletum „discriminata tempora“ (c. 4, §. 8) ex Romano fonte fluxisse recte monuit.

[2]) Cf. App. Hann. 43 (ἐπὶ τρυφῆς ἦν οὐ συνήθους, ἐρωμένην τε εἶχεν ἄγριος ἀνήρ) et Plin. n. h. 3. §. 103 (oppidum Salapia Hannibalis meretricio amore inclutum). Contra ea Justinus 32 · 4 · 11 haec dicit: „pudicitiam eum (sc. Hannibalem) tantam inter tot captivas habuisse (constat), ut in Africa natum quivis negaret“.

[3]) De ea cf. Woelfflin Ant. p. 29 sqq.

[4]) Princeps legationis Romanae, si Livium (21 · 18 3) auctorem sequimur, Q. Fabius erat (id est, ut videtur, Q. Fabius Maximus Cunctator), si Dionem Cassium (55 · 10) et Zonaram (8 · 22), quibus Posner causa non addita assensus est (p. 14 et 44), M. Fabius.

Coeliana ‚icit'[1]) et celocium mentio (c. 17·5), cum Coelius a Sempronio celocem in Africam praemissam esse dixerit[2]).

Quae Livius XXI·49—51 de rebus anno 218 in Sicilia et a Sempronio gestis memoriae prodit, ea ex Romano fonte hausit. Nam Polybius, cui fidem habet C. Peter[3]), narrat Sempronium in Africam missum esse (c. 40·2) et Lilybaei quantas posset copias paravisse, ut Carthaginem ipsam obsideret (c. 41·3), sed revocatum a senatu classem domum (id est Romam) misisse, copias terrestres terra Ariminum iter facere iussisse (c. 61·9—11, 68·12—14); Livius, quem secuti sunt Mommsen (hist. Rom. I^{6}. 585) et Ihne (hist. Rom. II·156), prorsus alia tradit. Sed ne cum Coelio quidem illum consentire ex eo intellegitur, quod eius celocis, quam a Sempronio in Africam praemissam esse Coelius (frg. 12) scripserat, mentionem non facit. Omnino Sempronius in Africam transmittere, quod facere ipso Livio 21·17·6 auctore iussus est, apud Livium XXI·51 in animo non habet. At fortasse dicas idem eum facturum fuisse, quod posteriore anno Servilius consul fecerit[4]): ad Melitam naves appulisse, ut inde ad insulas Menigem et Cercinam cursum teneret. Quid? cum naves Punicas in Italiam profectas esse ab Hierone accepisset, nonne prius ad insulas Vulcani traiecisset, quam Melitam peteret? num Melita capta Lilybaeum rediisset? Itaque cum Livius neque cum Polybio neque cum Coelio concinat, restat, ut eum Valerio Antiate usum esse statuamus. Et profecto haud pauca sunt, quae suspicionem moveant. Primum enim haud facile tibi persuadeas Carthaginienses, cum tantum instaret bellum, si mari quoque dimicaturi essent, non unam eamque magnam classem paravisse, quae cum Hannibale se coniungeret, sed duas parvas, quarum una cum mille armatis oram Italiae depopularetur, altera Lilybaeum aggrederetur. Deinde vix fieri potuit, ut litterae Hieronis a Messana prius Lilybaeum pervenirent quam naves Punicae ab

[1]) Cf. Liv. 21·18·10 et Woelfflin Ant. p. 33.

[2]) Cf. Coel. fr. 12 Pet.: „Sempronius Lilybaeo celocem in Africam mittit visere locum, ubi exercitum exponat".

[3]) hist. Rom. I. p. 336 et 348.

[4]) Conf. Pol. 3·96·12 et Liv. XXII. 31. Falso Ihne II. 192 Servilium ab incolis Cercinae decem milia talentorum accepisse scripsit; cf. Liv. 22·31·2 ‚decem talentis argenti acceptis'.

Aegatibus insulis; neque Hiero laudandus erat, si Aemilio praetori nihil praeter litteras miserat, ipse cum classe sua Messanae manserat. Praeterea et 21·51·2 narrationi Valerianae similis est et pugna navalis 21·49·8 sqq. eodem fere modo describitur quo pugna in ostio Hiberi commissa 22·19·6 sqq., quam ex Valerio petitam esse recte iudicat Woelfflin[1]). Accedit quod et a Melita, quae a Lilybaeo eodem fere spatio quo Carthago distabat, a Carthagine longiore quam Lilybaeum, nihil Romanis timendum erat et classem quoque Romanam Ariminum venisse, non solum terrestres, copias, propterea verisimile non est, quod Hannibal nullas naves habebat.

XXI·57—59 de rebus prima belli Hannibalici hieme gestis[2]) agitur, quarum Polybius ut minus gravium mentionem non facit. Quae Livius tradit, ea aliquanto ultra verum aucta esse censemus, hausta autem esse ex duobus fontibus suspicamur propter 21·57·4, ubi Livius ‚hae, inquit, fuere hibernae expeditiones Hannibalis', quasi non alia expeditio hiberna narretur in cap. 59. Capita 57 et 58 Coelio videntur deberi, 59 Valerio. Illud haud dubium est, id proelium, quod in cap. 59 narratur, impudenter fictum esse. Primum enim nullam video causam, cur Hannibal, qui cum omnibus copiis ad Placentiam castra movisset (c. 59·§. 1), postero die ne dimidiam quidem partem earum adversus hostem duxerit. Deinde ineptum est, quod §. 4—5 legimus, Hannibalem, cum duos exercitus consulares ad Trebiam vicisset eorumque maiorem partem occidisset, a solo Sempronio nullis novis auxiliis adiuto in suis castris oppugnatum esse. Itaque idem auctor, qui Sempronium Melitam cepisse finxit, etiam hoc proelium videtur ementitus esse, fortasse ut res a Sempronio gestas augendo Scipionum gloriam minueret[3]).

Prodigia a Livio et XXI·62 et XXII·1 ex Coelio sumpta esse iudicat Woelfflin (Ant. p. 75); ex eodem videntur fluxisse, quae XXI·63 de Flaminio narrantur.

[1]) in Hermae vol. IX p. 123. Specularum mentio et 21·49·8 et 22·19·6 et 23·27·4 ab eodem auctore videtur profecta esse.

[2]) De eis diligenter sagaciterque disseruit O. Seeck in Hermae vol. VIII. pag. 152—66. Neglexit tamen verba Livii 21·57·4 „comitiis consularibus habitis in hiberna rediit", cum pag. 156 Scipionem apud Placentiam cum Hannibale pugnasse scriberet.

[3]) Valerium Scipionum laudes maledicendo detrectavisse intellegitur ex Gell. VI (VII ed. Hertz.) 8·6 (fragm. 25 Pet.) et VII (VI) 19·8 (cf. Pet. vet. hist. R. rell. p. 266).

Coeliana ,icit' [1]) et celocium mentio (c. 17 · 5), cum Coelius a Sempronio celocem in Africam praemissam esse dixerit [2]).

Quae Livius XXI · 49—51 de rebus anno 218 in Sicilia et a Sempronio gestis memoriae prodit, ea ex Romano fonte hausit. Nam Polybius, cui fidem habet C. Peter [3]), narrat Sempronium in Africam missum esse (c. 40 · 2) et Lilybaei quantas posset copias paravisse, ut Carthaginem ipsam obsideret (c. 41 · 3), sed revocatum a senatu classem domum (id est Romam) misisse, copias terrestres terra Ariminum iter facere iussisse (c. 61 · 9—11, 68 · 12—14); Livius, quem secuti sunt Mommsen (hist. Rom. I⁶. 585) et Ihne (hist. Rom. II · 156), prorsus alia tradit. Sed ne cum Coelio quidem illum consentire ex eo intellegitur, quod eius celocis, quam a Sempronio in Africam praemissam esse Coelius (frg. 12) scripserat, mentionem non facit. Omnino Sempronius in Africam transmittere, quod facere ipso Livio 21 · 17 · 6 auctore iussus est, apud Livium XXI · 51 in animo non habet. At fortasse dicas idem eum facturum fuisse, quod posteriore anno Servilius consul fecerit [4]): ad Melitam naves appulisse, ut inde ad insulas Menigem et Cercinam cursum teneret. Quid? cum naves Punicas in Italiam profectas esse ab Hierone accepisset, nonne prius ad insulas Vulcani traiecisset, quam Melitam peteret? num Melita capta Lilybaeum rediisset? Itaque cum Livius neque cum Polybio neque cum Coelio concinat, restat, ut eum Valerio Antiate usum esse statuamus. Et profecto haud pauca sunt, quae suspicionem moveant. Primum enim haud facile tibi persuadeas Carthaginienses, cum tantum instaret bellum, si mari quoque dimicaturi essent, non unam eamque magnam classem paravisse, quae cum Hannibale se coniungeret, sed duas parvas, quarum una cum mille armatis oram Italiae depopularetur, altera Lilybaeum aggrederetur. Deinde vix fieri potuit, ut litterae Hieronis a Messana prius Lilybaeum pervenirent quam naves Punicae ab

[1]) Cf. Liv. 21 · 18 · 10 et Woelfflin Ant. p. 33.

[2]) Cf. Coel. fr. 12 Pet.: „Sempronius Lilybaeo celocem in Africam mittit visere locum, ubi exercitum exponat".

[3]) hist. Rom. I. p. 336 et 348.

[4]) Conf. Pol. 3 · 96 · 12 et Liv. XXII. 31. Falso Ihne II. 192 Servilium ab incolis Cercinae decem milia talentorum accepisse scripsit; cf. Liv. 22 · 31 · 2 ,decem talentis argenti acceptis'.

Aegatibus insulis; neque Hiero laudandus erat, si Aemilio praetori nihil praeter litteras miserat, ipse cum classe sua Messanae manserat. Praeterea et 21 · 51 · 2 narrationi Valerianae similis est et pugna navalis 21 · 49 · 8 sqq. codem fere modo describitur quo pugna in ostio Hiberi commissa 22 · 19 · 6 sqq., quam ex Valerio petitam esse recte iudicat Woelfflin [1]). Accedit quod et a Melita, quae a Lilybaeo eodem fere spatio quo Carthago distabat, a Carthagine longiore quam Lilybaeum, nihil Romanis timendum erat et classem quoque Romanam Ariminum venisse, non solum terrestres, copias, propterea verisimile non est, quod Hannibal nullas naves habebat.

XXI · 57—59 de rebus prima belli Hannibalici hieme gestis [2]) agitur, quarum Polybius ut minus gravium mentionem non facit. Quae Livius tradit, ea aliquanto ultra verum aucta esse censemus, hausta autem esse ex duobus fontibus suspicamur propter 21 · 57 · 4, ubi Livius ,hae, inquit, fuere hibernae expeditiones Hannibalis', quasi non alia expeditio hiberna narretur in cap. 59. Capita 57 et 58 Coelio videntur deberi, 59 Valerio. Illud haud dubium est, id proelium, quod in cap. 59 narratur, impudenter fictum esse. Primum enim nullam video causam, cur Hannibal, qui cum omnibus copiis ad Placentiam castra movisset (c. 59 · §. 1), postero die ne dimidiam quidem partem earum adversus hostem duxerit. Deinde ineptum est, quod §. 4—5 legimus, Hannibalem, cum duos exercitus consulares ad Trebiam vicisset eorumque maiorem partem occidisset, a solo Sempronio nullis novis auxiliis adiuto in suis castris oppugnatum esse. Itaque idem auctor, qui Sempronium Melitam cepisse finxit, etiam hoc proelium videtur ementitus esse, fortasse ut res a Sempronio gestas augendo Scipionum gloriam minueret [3]).

Prodigia a Livio et XXI · 62 et XXII · 1 ex Coelio sumpta esse iudicat Woelfflin (Ant. p. 75); ex eodem videntur fluxisse, quae XXI · 63 de Flaminio narrantur.

[1]) in Hermae vol. IX p. 123. Specularum mentio et 21 · 49 · 8 et 22 · 19 · 6 et 23 · 27 · 4 ab eodem auctore videtur profecta esse.

[2]) De eis diligenter sagaciterque disseruit O. Seeck in Hermae vol. VIII. pag. 152—66. Neglexit tamen verba Livii 21 · 57 · 4 „comitiis consularibus habitis in hiberna rediit", cum pag. 156 Scipionem apud Placentiam cum Hannibale pugnasse scriberet.

[3]) Valerium Scipionum laudes maledicendo detrectavisse intellegitur ex Gell. VI (VII ed. Hertz.) 8 · 6 (fragm. 25 Pet.) et VII (VI) 19 · 8 (cf. Pet. vet. hist. R. rell. p. 266).

In libro XXII Livius, cum praesertim res urbanas multo fusius quam Polybius exposuerit, minus saepe cum illo consentit. Quae ex Coelio, quae ex Valerio petita sint, accurate definiri non potest. Valerio videntur deberi 19 · 6—12 et 20 · 4—21 · 8 (ubi agitur de rebus a Scipionibus in Hispania gestis), 24 · 11—14 (de proelio apud Gereonium commisso), 31 . 1 — 7 (de Servilii consulis naviumque expeditione in Africam facta), 40 · 9—42 · 12 (de Hannibale apud Gereonium Romanis insidias parante). Coelius praecipue in eis partibus in usum vocatus est, quae orationibus arte perpolitis ornatae sunt [1]).

[1]) Liv. 22 · 38 non ex Graeco aliquo auctore (Fabium dico), sed ex prisco quodam scriptore Romano petitum esse satis intellegimus ex verbis „fugae atque formidinis ergo"; cf. Liv. 10 · 14 · 20 (fugae formidinisque), Sall. Iug. 55 · 7 (fuga atque formido), Cic. ad Attic. 8 · 14 · 1 (fugas et formidines), Lucret. 5 · 1246 (formidinis ergo), Hand. Tursell. II · 442—43, Reisig ‚Vorlesungen' p. 201. n. 236.

Caput V.

Convenit inter omnes, quaestionem de fontibus Livianorum librorum XXI et XXII prae ceteris eius generis quaestionibus propterea magni esse momenti, quod cum ea cohaereat iudicium de fide et veritate non solum eorum scriptorum faciendum, quibus memoriam rerum bello Hannibalico gestarum debeamus, sed omnium fere, qui res Romanas posteris tradiderint. Iam si recte se habent, quae de ea quaestione exposuimus idem fere cum C. Peter et E. Woelfflin sentientes, Livius duos illos libros ex Polybii et Coelii historiis ita hausit, ut pauca ex Valerii Antiatis annalibus adderet. Polybium praecipue secutus est et in rebus ordinandis et in itineribus exercituum pugnisque describendis; ex Coelio in primis eas res petivit, quae vel per legatos vel in urbe actae erant vel ad sacra religionesque pertinebant; Valerium rarius auctorem adhibuit, ut expleret quae a Polybio Coelioque brevius absoluta esse viderentur. Et quanquam plerumque singulos auctores retractavit [1]), interdum tamen rem ita instituit, ut quae apud unum legisset, in famam, cuius alter auctor esset, insereret [2]). Quo videtur factum esse, ut Livius imprudens et nonnullas res bis narraret et saepe secum ipse pugnaret.

De eis rebus, quae bis narrantur, falsam opinionem protulit Keller (p. 92), rectam Woelfflin [3]). Haud raro enim Livius variam de eadem re exhibet famam; velut 21 · 28 · 5 de elephantis trans Rhodanum traiciendis auctores in duas partes abire commemorat, et 22 · 24 leve proelium apud Gereonium factum primum eodem modo quo Polybius narrat, deinde secundum quosdam auctores gravem pugnam eo die factam esse dicit eamque describit. Interdum

[1]) velut 21 · 3 · 1 Polybio (3 · 13 · 4) debetur; 21 · 3, 2—5, 2 Coelio, 21 · 5, §§. 3—17 Polybio; 21 cap. 6—14 Coelio.

[2]) velut 21 · 15 · 1—2 nonnulla ex Polybio in Coelium, 21 · 48 · 9 nonnulla ex Coelio, 21 · 60 · 7 nonnulla ex Valerio in Polybium supplendi causa inseruit.

[3]) Ant. p. 69—75.

autem eandem rem apud eos quibus utebatur auctores tam vario modo descriptam invenit, ut cum diversas res tradi putaret eiusdem rei tanquam duarum rerum insciens duplicem traderet memoriam. Exempla haec sunt:

21 · 25 · 9 Livius non aliter quam Polybius narrat Manlium in silvis multos suorum amisisse et in apertos campos [1]) confugisse; §. 11 Romanos iterum silvas intrasse et septingentos eorum a Gallis caesos esse dicit, cuius rei Polybius non est auctor.

21 · 26 · 6 „ceteris metu aut pretio pacatis iam in Volcarum pervenerat agrum“, quod Polybio debetur (3 · 41 · 7 *Ἀννίβας δὲ παραδόξως τοὺς μὲν χρήμασι πείσας τῶν Κελτῶν, τοὺς δὲ βιασάμενος ἧκε ἐπὶ τὴν τοῦ Ῥοδανοῦ διάβασιν*), nihil aliud est quam quod Livius 21 · 24 · 5 Coelium secutus monuit „reguli Gallorum capti donis cum bona pace exercitum per finis suos transmiserunt.“

21 · 42—44 Livius Polybio usus exponit, qua ratione quibusque verbis Hannibal, cum Scipio appropinquaret, milites suos adhortatus sit. 21 · 45 · 4—9. Hannibal iterum milites cohortatur plane alia ratione, id quod a Polybio non traditur, unde consentaneum est, Hannibalem semel apud milites verba fecisse eiusdemque contionis Livium duo exempla exhibere. Neque ipsum Livium fugisse, Hannibalem 21 · 45 · 4—9 inutilem rem agentem a se induci, satis intellegitur ex verbis, quibus alteram contionem narrare incipit: „nihil unquam satis dictum praemonitumque ad cohortandos milites ratus.“

Etiam 21 · 60—61 Livius duplicem famam male videtur connexuisse. Nam 60—61 · 4 Polybium secutus narrat, Hannonem victum esse et Hasdrubalem cis Hiberum venisse sed brevi se recepisse [2]). Deinde alia narrantur bella (61 · 5—11) a Polybio non relata: Scipione in hiberna profecto Hasdrubalem iterum Hiberum transgressum esse et Ilergetes a Romanis defecisse; sed et Ilergetes et Lacetanos et Ausetanos victos esse. Credo equidem etiam apud Romanum Livii auctorem Hasdrubalem, ut Hannoni succurreret, semel cis Hiberum venisse eoque tempore Ilergetes cum eo se

---

[1]) Apud Pol. 3 · 40 · 13 pro ὑψηλῶν scribendum est ψιλῶν; cf. Woelfflin Ant. p. 56.

[2]) Id unum addidit, sex milia hostium caesa esse, duo capta cum praesidio castrorum. Pluribus verbis quam a Livio et Polybio pugna ad Cissim facta describitur a Frontino (strat. 2 · 3 · 1).

coniunxisse, Livium ipsum res in tam malum ordinem redegisse. Praeterea multa sunt, quae suspicionem moveant et Valerio Antiati videantur deberi. Primum cum Hannibal et Scipio paucis diebus ante occasum Vergiliarum (Liv. 21 · 35 · 6) ad Rhodanum venerint, vix eodem anno illa omnia in Hispania potuerunt fieri, quae a Livio narrantur, praesertim cum unius oppidi obsidio totum mensem absumpsisse tradatur (21 · 61 · 10). Deinde Indibilis, Ilergetum regulus, quem etiam insequenti anno in fines sociorum Romanorum impetum fecisse solus Livius (22 · 21 · 2—4) memoriae prodit, simul cum Hannone a Romanis captus erat [1]). Accedit quod nullam video causam, cur Scipio hibernis excitus etiam Ausetanos aggressus sit.

Cum de rebus, de quibus ipse Livius sibi contradicit, difficilis sit quaestio, a proposito nostro non erit alienum paucis exponere, quae res a nobis nondum commemoratae in ipsis libris XXI et XXII secum pugnent.

Atque primum de Hannibalis pueritia Livius sibi non constat. 21 · 1 · 4 (= Pol. 3 · 11 · 5—7) Hannibal novem annos natus a patre in Hispaniam duci videtur, 21 . 43 . 15 ipse se in praetorio patris prope natum, certe eductum esse et 30 · 37 · 9 novem annorum domo profectum post sextum et tricesimum annum rediisse dicit. Contra ea 21 · 3 · 2 ab Hasdrubale in Hispaniam arcessitur vixdum pubes neque diutius quam per triennium sub eo stipendia facit 21 · 4 · 10. De hac re exposuit Woelfflin Ant. p. 40—46.

Item pugnantia inter se tradit Livius de praeda, quam Hannibal Sagunti invenerit. Nam quanquam 21 · 14 · 1 nobiles Saguntini omni auro et argento in ignem coniecto plerique semet ipsi in flammas praecipitant, et urbe expugnata milites ab Hannibale omnes puberes interficere iussi (§. 3) in caedibus vix ullum aetatis faciunt discrimen (15 · 1) Saguntinique inclusi cum coniugibus liberisque (14 · 4) domos super se incendunt aut fortiter pugnantes occiduntur, tamen 15 · 1—2 non aliter quam apud Polybium (3 · 17 · 10) urbs capitur ‚cum ingenti praeda‘, Hannibal multam vestem et suppellectilem pretiosam Carthaginem mittit, captivos militibus condonat, relliquias praedae vendit (21 · 21 · 1), in Italiam profecturus obsides

---

[1]) Pol. 3 · 76 · 6. Liv. 21 · 60 · 7 „ipse dux cum *aliquot* principibus capiuntur“. Quo tempore Indibilis in libertatem restitutus sit, nusquam commemoratur. Fortasse huc pertinet Dionis Cass. frg. 57 · 44 (Dind.).

totius Hispaniae Sagunti in custodiam dat (22 · 22 · 4 = Pol. 3 · 98) [1]).

Nec magis conveniunt inter se 21 · 32 · 5, ubi Scipio Massilia rediens Genuae naves appulisse, et 21 · 39 · 3 (= Pol. 3 · 56 · 5), ubi Pisas navibus venisse dicitur [2]).

Praeterea discrepant quae apud Livium leguntur de iugo Alpium. Nam 21 · 36 · 1 per rupem quandam arduam aegre expeditus miles retinens manibus ‚virgulta ac stirpes circa eminentes' se demittere potest et 21 · 37 · 2 Poeni arbores circa immanes deiciunt; 21 · 37 · 4 autem eodem loco iumenta prope fame absumuntur: „nuda enim fere cacumina sunt" [3]).

Ferdinandus Voigt [4]) et L. Keller (p. 194) inter se pugnare censent etiam Liv. 21 · 39 · 10, 45 · 1, 47 · 2, cum Scipio Hannibali occurrens duo flumina traiecisse, trans solum Padum se recepisse dicatur. Sed quanquam verba Livii 21 · 47 · 2 ‚castra ab Ticino mota festinatumque ad Padum est' parum distincta sunt, tamen cum Scipio iam 21 · 39 · 10 ad Ticinum pervenisse dicatur, Keller aperte errat, qui 21 · 45 · 1 pro ‚Romani ponte Ticinum iungunt' scribendum putat: ‚Romani ponte Padum iungunt.'

Obscura ea quoque sunt, quae Livius tradit de C. Atilio Serrano praetore et de Ti. Sempronio consule. Nam 21 · 26 · 2 Atilius unam legionem cum quinque milibus sociorum in Galliam ducit, 21 · 39 · 3 copias suas Scipioni tradit, 21 · 62 · 10 Romae commoratur, 21 · 63 · 15 Flaminio Arimini duas legiones tradit. Recte igitur mihi videor suspicari Atilium Flaminio tradidisse duas legiones dilectu

[1]) De praeda Saguntina cf. Woelfflin ad Liv. 21 · 14 · 2 et 15 · 1, Ant. p. 37 et 38; ad locos quos ille congessit adde Val. Max. 6 · 6 ext. 1.

[2]) Conf. Woelfflin ad Liv. 21 · 32 · 5 et 39 · 3.

[3]) Conf. quae Woelfflin ad hos locos adnotavit. Livius unam rupem mille pedum tam rectam fuisse dicit; ei vero scriptores, quos vituperat Polybius 3 · 47 · 9, omnes Alpium montes tam arduos esse scripserant. Nitzsch, qui (röm. Annalistik p. 14) Livium Polybio usum esse ob eam causam negat, quod Pol. 3 · 20 · 3 et 47 · 9 neglexerit, et hanc quam dixi differentiam eamque quae est de pueris in senatum introductis reticuit et propterea vehementer erravit, quod Livius totam digressionem a Polybio 3 · 47 · 6 — 48 · 12 institutam totaque capp. 18—28 omisit neque omnino in critica arte exercenda rhetorumque flosculis abiciendis eandem quam Polybius diligentiam adhibuit.

[4]) in quaestionibus criticis de primis Hannibalici belli annis, Berolini 1864, pag. 8.

novo conscriptas, cum ille 21 · 63 · 5 privatus clam in provinciam abiisset. — Sempronius 21 · 59 · 10 Lucam concessit; tamen 21, 63 · 15 legiones suas Arimini Flaminio tradit, cui 21 · 63 · 1 eae legiones, quae Placentiae hibernabant, sorte evenerant; tum Flaminius Arretium iter facit (22 · 3 · 1). Nonne haec mira sunt? Sed nisi fallor 21 · 59 inepte ex Valerio Antiate in reliquam narrationem insertum est. Commendatur haec nostra sententia eo, quod Hannibal 21 · 59 · 10 in Ligures concessisse, 22 · 1 · 1 (= Pol. 3 · 78) ex Gallia in Etruriam iter fecisse dicitur [1]).

Perperam Livius interpretatus est Pol. 3 · 78 · 5 *τοὺς Κελτοὺς δυσχεραίνοντας ἐπὶ τῷ τὸν πόλεμον ἐν τῇ παρ αὐτῶν χωρᾳ λαμβάνειν τὴν τριβήν*, cum 22 · 1 · 2 haec scriberet: „postquam (Galli) suas terras sedem belli esse premique utriusque partis exercituum hibernis videre." Oblitus enim est Romanos Placentiae et Cremonae, in ipsorum coloniis, hibernasse (21 · 56 · 9) eisque commeatus Pado esse subvectos (21 · 57 · 5); nec minus oblitus est, 21 · 59 · 10 Hannibalem in Ligures, Sempronium Lucam concessisse.

Deinde apud Livium duplex occurrit fama de imperio consulum iunctis exercitibus bellum gerentium. [2]) Nam 22 · 27 · 10 Fabium et Minucium, cum eis imperium aequatum esset, legiones, „sicut consulibus mos esset", inter se divisisse dicit; 22 · 32 · 1 Atilius Fabianum, Servilius Minucianum exercitum accipit; etiam Varrone et Paulo imperantibus milites semper ambo consules adeunt. [3]) Contra ea Livius 22 · 41 · 3 Varronem et Paulum alternis diebus imperitasse et 22 · 45 · 5 Varronem, „cui sors eius diei imperi" esset, nihil consulto collega pugnam Cannensem commisisse narrat. Inepte igitur 22 · 42 · 4 Varro, quod castra hostium diripere cupiverit, dux seditionis appellatur, cum eo die totius exercitus imperium penes eum fuerit, siquidem 22 · 41 · 3 „Paulus, cuius eo die imperium erat", 41 · 6 „nocte proxima", 42 · 1 „ubi inluxit" recte se

[1]) Itineri in Ligures facto lucem afferre videntur Nep. Hann. 4 · 3 „inde per Ligures Appenninum transiit petens Etruriam" et Pol. 2 · 16 · 2, ubi Ligures usque ad Arnum et regionem Arretinam patuisse traduntur.

[2]) Conf. Mommsen: roem. Staatsrecht I p. 78.

[3]) 22 · 42 · 2 (ad praetoria consulum), § 3 (iuberent, ducerent), §. 11 (ad consules), §. 12 (consules imperi potentes fecit).

habent. Itaque Livius eam famam, cuius Polybius[1]) auctor est, male in narrationem ex fonte Romano haustam videtur inseruisse.

Pariter Livius confudit duplicem memoriam de ordine, quo Romani in pugna Cannensi instructi fuerint. Nam 22 · 45 · 7 ita instruunt aciem: „in dextro cornu Romanos equites locant, deinde pedites; laevom cornu extremi equites sociorum, intra pedites ad medium iuncti legionibus Romanis tenuerunt . . . . consules cornua tenuere, Terentius laevom, Aemilius dextrum; Gemino Servilio media pugna tuenda data.“ In dexterum cornu primum fit impetus et equites Romani atroci proelio victi terga vertunt; Pauli nulla fit mentio. Sub finem huius certaminis peditum cooritur pugna et Romani in mediam Poenorum aciem inlati etiam „ab tergo“ includuntur.[2]) Deinde cum equitibus sociorum proelium committitur. Haec Livius ex Polybio ita petivit, ut pauca mutaret vel adderet; sed inde a 48 · 2 alium sequitur ducem. Ipsum cap. 48 tam obscurum tamque perplexum est, ut certum iudicium de eo proferre nequeam, nisi quod et hic et de pedestris certaminis fine Livius cum Polybio prorsus discrepat. Nam, ut Polybius (cap. 116) tradit, Paulus, cum equites eius victi et maximam partem occisi essent, a dextero cornu ad exercitum pedestrem se contulit ibique Romanos adhortatus et ipse cum hostibus congresssus, postremo comminus pugnans cum Servilio et Regulo[3]), prioris anni consulibus, occisus est. Etiam apud Livium (cap. 49) Aemilius in media acie versatur; sed

[1]) Pol. 3·110·4 διὰ τὸ παρὰ μίαν (ἡμέραν) ἐκ τῶν ἐθισμῶν μεταλαμβάνειν τὴν ἀρχὴν τοὺς ὑπάτους.

[2]) Liv. 22·47·8. Pol. 3·115·11 dicit: ἐξ οὗ συνέβη μέσους ἀποληφθῆναι τοὺς Ῥωμαίους ὑπὸ τῶν Λιβύων = ita factum est, ut Romani ab utroque latere includerentur ab Afris, id quod apparet ex §. 9 et 10. Cf. Woelfflin ad Liv. 22·47·8.

[3]) Livius 22·40·6 M. Atilium Regulum Romam rediisse scribit, quamvis prorogatum ei in annum imperium esset 22·34·1; etiam 23·21·6, 24·11·6, 24·43·1—4 vivus commemoratur. Item ex Cic. Tusc. 1·37·89, Nep. Hann. 4·4, App. Hann. 18—24 suspicari licet, Atilium non pugnasse apud Cannas. Itaque Ihne (hist. Rom. II. 198) eius loco M. Minucium Rufum nominat, qui priore anno magister equitum fuerat et a Livio 22·49·16 inter caesos numeratur. Ac vero cum Polybius et Minucium et Atilium simpliciter *Μάρκον* appellet, facile potuit fieri, ut eum Marcum, quem simul cum Servilio mediae pugnae praefuisse sibi notavisset, illius collegam esse putaret. Tell (Philol. XI. p. 103) Polybium M. Atilium pro L. Atilio quaestore (de quo cf. Liv. 22 · 49 · 16) nominavisse iudicat. C. Peter (hist. Rom. I. 374) Polybium secutus est.

quo tempore eo venerit, non commemoratur. Primo statim proelio funda graviter ictus esse dicitur; videtur igitur Livius sibi fingere, Paulum certamine vixdum commisso mediae pugnae praefuisse. Ibi ab equitibus Romanis protegitur eosque ad pedes descendere iubet; sed cum res male geratur, pars Romanorum fugit, pars cum Paulo occiditur. — At neque ex Polybiana neque ex Liviana narratione intellegitur, quomodo fieri potuerit, ut exitus pugnae ex equitum proelio penderet; praeterea Livius 42 · 49, ubi Romani pelluntur et fugiunt, aperte discrepat cum 22 · 47 · 8, ubi undique inclusi esse dicuntur. Apud Appianum autem (Hann. 19) ante initium pugnae Paulus mediam aciem tuendam suscipit et a mille equitibus protegitur, id quod cum Liv. 22 . 49 plane concinit. Ex eo intellegimus Livium finem pugnae Cannensis petivisse ex auctore Romano (Coelio), qui Romanos eodem ordine, cuius Appianus auctor est, aciem instruxisse traderet.

Hos habeo locos, quibus Livium sibi non constare iudico. C. Peter (p. 38) et Buchholz (p. 22) inter se pugnare dixerunt etiam 22 . 15 · 12 et 22 · 17 · 4; sed neglexerunt 22 · 15 · 3 et 22 · 16 · 5. Boettcher, qui (p. 436) Liv. 22 · 44 · 3 et 22 · 45 · 2 inter se concinere negat, priorem locum perperam interpretatur.

Non sine veritatis specie suspiceris eadem fere quam modo explicavimus studiorum ratione Livium per totam tertiam decadem usum esse et binis vel ternis auctoribus inter se comparatis modo hunc modo illum tanquam potissimum ducem ita secutum esse, ut multa et leviora et graviora aliunde petita in eius narrationem insereret. Et quanquam fieri potuit, ut duo vel tres scriptores ex eodem auctore tanquam ex communi fonte sua haurirent communemque auctorem varia ratione retractarent, tamen ei sunt vituperandi, qui vel illam rationem inter Polybium et Livium intercedere vel omnes antiquos rerum scriptores tam Graecos quam Romanos singulorum auctorum opera ad verbum fere in nova exempla transtulisse temere clamitent. Atque hac quidem in re iudicium virorum doctorum valde turbatum est, cum alii veteres rerum scriptores perperam cum nostris conferrent et ad eandem normam metirentur, alii eos pari plane gradu ponerent cum medii aevi chronographis. Verum turpiter utrique lapsi esse mihi videntur. Immo longe plurimi quantum ab illis tantundem ab his distare existimandi sunt.

Neque magis constat inter viros doctos, a quibus initiis annalium et historiarum confectio apud Romanos profecta sit, quos dein-

ceps gradus transierit, ad quem finem pervenerit. Nam Kellero quidem si assentiaris, Piso cum res Romanae vixdum Latino sermone explicari coeptae essent, in summum gradum enisus est, ultra quem neque Coelius neque Livius progressi sint. Contra ea si C. Peteri, E. Woelfflini, aliorum sententia recte se habet, Coelius, qui primus non omnes res Romanas, sed solum bellum Hannibalicum persecutus est, etiam primus res accuratius indagavit et oratorum more exornavit eaque re insignem laudem Ciceronis sibi meruit, Livius vero non solum florido dicendi genere Coelium superavit, cum interea et prosa oratio et poësis excultae essent, sed etiam quantum poterat existimare quantumque Romano licebat, propius ad veritatem accesit. Multa quidem, quae apud Diodorum, Valerium Maximum, Appianum, Eutropium, Zonaram, alios de crudelitate, inhumanitate, perfidia Hannibalis narrantur, ille certiorem auctorem Polybium secutus ut ficta silentio praetermisit. Itaque Livius, licet plane aliter sentiat et minus integre de rebus Romanis iudicet quam Polybius quique nostratium eandem studiorum sibi delegerunt provinciam, tamen cum officio suo non defuerit, suo honori restituendus est bonoque fato eius potius quam Pisonis vel Coelii opera ad nostrum aevum pervenerunt.

Index rerum.

Pag. 1— 3:	In prooemio sententiae a viris doctis prolatae de fontibus librorum XXI et XXII T. Livii colliguntur.
„ 4—11:	In *cap. I.* in universum disseritur de annalium Romanorum confectione.
„ 4— 5:	de triplici auctorum adhibendorum ratione (de transscribendo, contaminando, combinando);
„ 5— 7:	de voluminibus et libris;
„ 7— 8:	quid Romani rerum scriptores ipsi de auctoribus suis professi sint;
„ 8—11:	de historicorum Romanorum studiis civilibus et rhetoricis.
„ 12—24:	In *cap. II.* Polybium a Livio in libris XXI et XXII adhibitum esse ostenditur;
„ 12—17:	causas, quae ei sententiae obstare videantur, minorem quam quae eis soleat tribui vim habere;
„ 17—19:	consensum Livii et Polybii neque per medium neque per communem aliquem auctorem aeque facile explicari posse;
„ 19—20:	Livium ipsum profiteri, se complures in usum vocavisse auctores;
„ 20—24:	Polybium in eo numero esse.
„ 25—35:	In *cap. III.* de Polybio auctore Livii ita agitur, ut anquiratur:
„ 25—26:	quae sit indoles libri III. Polybii;
„ 26—32:	qua ratione Livius eo libro usus sit;
„ 32—35:	quae partes librorum XXI et XXII Polybio debeantur.
„ 36—50:	In *cap. IV.* quaeritur, quae ratio intercedat inter Livii libros XXI et XXII et
„ 36—38:	1. Coelii Antipatri historias,
„ 38—46:	2. Valerii Antiatis annales,
„ 46—50:	quaeque partes librorum XXI et XXII ex illis haustae sint.
„ 51—58:	In *cap. V.* Livii studiorum ratione breviter comprehensa nonnulla adduntur
„ 51—53:	de rebus a Livio dupliciter narratis,
„ 53—57:	de contradictionibus Livianis,
„ 57—58:	de artis historicae Romanorum itinere et progressione.

Typis C. F. Winteri Darmstadiensis.